NAZ.
e III
LI

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LV
G
53
NAPOLI

Digitized by Google

IV 9. 56

Digitized by Google

1401012

Digitized by Google

# ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV

Anni MDLXXXXII.

AD PATRES, ET FRAtres eiuſdem Societatis.

FLORENTIAE

APVD PHILIPPVM IVNCTAM,

M. D. C.

*Cum facultate Superiorum.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV

## Anni MDLXXXXII.

*PATRIBVS, FRATRI-buſque Societatis* IESV *Gratia & pax Christi Domini, &c.*

CVM mihi ſit demandatũ à Superioribus, vt referam in Annales milleſimi quingenteſimi nonageſimi ſecundi res geſtas earum Prouinciarum, quarum ad nos in Vr-

bem commentarij peruenerunt; ea explicare inſtitui non per domicilia, ſed per capita rerum. Quoniam id propius accedit ad leges, & morem hiſtoriæ, commodius accidit ad vſum exemplorum, magis implet aures argumentum totum ſub vno titulo compræhenſum, quam idem in inciſa rerum diuerſiſsimarum connexione ſparſum locis plurimis; & multo maxime vt experiremur, dum non e ſingulis Collegijs, ſed è ſingulis Prouincijs vnũ corpus efficitur, vtrum ſine vlla offenſione vitari poſſet ingrata illa prolixitas, quæ naſci ſolet è repetitione rerũ leuiorum, atque communium. Siq; ſuccederet ex voto, ij quibus probaretur hæc ratio eam propoſito exemplo non di-

cam

cam imitari, ſed perficere poſſent. Quare ſtudium domeſticæ diſciplinæ, ſuſceptæ verberationes, laceræ veſtes, ſpiritualia exercitia, obita Noſocomia, ægri, moribundi, publicæ cuſtodiæ, patibula, erepti a cæde, peccatis, periculis, ſublatæ ſuperſtitiones, Societates cũ dæmone, praui ritus, petitiones iniuſtæ, conſtitutæ paces, connubia, bonæ conſuetudines: frequẽs concio, templum, & alia huiuſmodi, quæ ſcimus communia eſſe, atque frequentia vniuerſæ Societati, quanquam ſunt multa laude digna, ſolum tamen attingentur cum aliqua ſingularis cauſa, vel peculiare adiunctum ita faciendum eſſe perſuaſerit. Quæ aut genere aut nouitate, aut alia ratione ſint accommodata, vere ad Socie-

tatem

tatem pertineant, ac denique cum dignitate proponi poſſe videantur, ea perſequemur omnia. Suppeditet nobis Chriſtus IESVS tantam copiam ſui ſancti Spiritus; vt ſcriptores potius argumentis, quã ſcriptoribus argumenta deſint.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# PROVINCIA ROMANA.

HOC anno præter centenos, qui in profeſſorum Domo viuere ſolent; aluit Romana Prouincia ſocios quingentos & viginti dispertitos in domicilia vnde viginti. Roma vna nouem ſtationibus continuit.

Collegium tres, & ducentos. viginti ex ijs in ternas diuiſi reſidentias domeſtica prædia procurarunt. Domus Probationis nonaginta. Pœnitentiariorum viginti. Seminarium Romanum duos, & viginti. Germanicum quindecim. Anglicum vndecim. Græcum ſex. Maronicum duos. Laureti collegium noſtrum quinque, & triginta. Illiricum quatuor. Collegium Florentinum duos, & viginti. Duo minus Peruſinum. Senenſe vnde viginti. Maceratenſe ſeptemdecim. Recinetenſe quindecim. Tybertinum duodecim. Montis Sancti ſeptem. Ingreſſi in Societatem tres, & quadraginta. Ex his ſeptemdecim dedit Romanum Gymnaſium, binos Recinetenſe Collegium. Germanicũ quatuor. Obierunt octodecim. Rector quidem Lauretanus morti fuit, ita vicinus, vt cœleſti viatico rite ſumpto, extremam ad pugnam ſacro oleo inunctus, rebuſque neceſſarijs funeri com-

A para-

paratis à pleriſque pro mortuo haberetur, quodque appareret diuina magis, quā humana ope discrimini ereptum, Abbatiſſa quædam egregiæ ſanctitatis fama, roganti Miniſtro Collegij, vt animam Rectoris iam eam agentis cum ſuis virginibus Deo commendaret; Bono, inquit, animo, Pater, iube eſſe Rectorem; haud quaquam eum iſto morbo moriturum. Audax viſa prædictio; ſed vana non fuit; ea ipſa nocte morbus ſudore depulſus, medicis ex repentina valetudine admiratione defixis.

## Doctrina Chriſtiana, aliaq; animorum præſidia.

EGregie nauata eſt opera proximis. E Romano Collegio plus duodecim in ſacris virginum cœnobijs, templis, noſocomijs, cuſtodijs verbi diuini ſementem facere non deſiſtunt; opportuniore præſertim tempore Aduentus, Quadrageſimæ. Catechiſmus vbique perſonat, Laureti inſigniter, magna vtilitate puerorum, non minore circunfuſæ grandiorum natu multitudinis, & præcipue domeſticorum, ac parentum. qui dum filios præſcripta diſcentes domi, recitantes in templo, paſſim cantitantes exaudiunt; eadem ipſi tacitè perdocentur. Ea res accendit ſtudia multorum. Finitimus Epiſcopus cum ſalutatum B. Virginem Lauretanam

ve-

venisset, ſacerdotem noſtrum teneræ ætatis men-tes, Chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbuentem offendit; quem cum amplius horam ſubauſcul-taſſet attentius; hominis vel ſedulitatem, vel patientiam admirans, Collegij Rectorem obſe-crauit enixe, illum vt ſibi ad ſuæ Diœceſis Pa-rochos in eo genere inſtituendos ad breue tem-pus concederet. Ibidem ſummi percepti fru-ctus ex noſtrorum Pœnitentiariorum labore, qui ſummus eſt propter incredibilem multitu-dinem virorum, ac mulierum, qui toto ferme anno vndique ad B. Mariæ domum confluunt, eo plerumque conſilio, vt abſterſa ſuperioris vitæ quaſi fuligine, nouum vitæ genus inſti-tuant, aut etiam Virgini vota rite perſoluant. Nec mirum; illa noſtros conatus adiuuat. quo in genere ſæpe diuina vis, & huius loci ſancti-tas facile apparet. Deligam vnum exemplum de multis vnde fiat coniectura de cæteris. Vir quidam honeſtus, ac diues, filiolum, quem vni-cum habebat, vicinæ mulieri tradiderat alen-dum ſumma cura, indulgentiaque. erat infans, quippe ante nonum menſem natus, valetudine imbecilla. quocirca graui morbo correptus, ſu-bito interijt. ibi tum metu exanimata nutrix, confeſtim relicta patria ad B. Mariam Lauretā-nam ſola confugit, & ad genua noſtri Sacerdo-tis accidens, ſe confeſſione munit; quippe pro-uidebat fore, vt pater pueri, homo natura fe-rox, amiſſi repente filij dolore fureret in peſtē



Digitized by Google

ſuam. neque eam opinio, aut ſpes feſellit. ſimul ac ille ſe vnico orbatum filio cognouit, furore amens arma corripit, & fugientem mulierem propere ſequitur. Lauretum ingreſſus, recta contendit in templum, ſclopettis duobus inſtructis; nutricem cõquirit ea mente, vt vel in ipſa Lauretana domo deprehenſam ante oculos B. Mariæ confoderet. Vbi ad ſacram Virginis ædem venit, in medio Templo ſitam; (inibi tum forte mulier ignara quantum ſibi periculum impenderet, a Deo ſupplex petebat opem.) homo furens repente iter vertit alio; veritus ſcilicet, ne ſi ſanctiſſimum illud limen intraret, loci ſanctitas iratum leniret pectus, & ad manſuetudinem flecteret. quid multa? dum toto tẽplo fanatici inſtar diſcurrit, vt iram, atq; odiũ expleat ſuum, ante aram Sanctiſſimæ domui extrinſecus adiunctam forte præteriens neſcio quomodo genu ſummiſit. repente ſacro quodã horrore perfuſus adeo mentem mutauit, vt ſtatim vnum è noſtris ſacerdotem adiret; & abiectis armis cum muliere redit in gratiam, quam haud vanam fuiſſe oſtendit euentus; quippe mulier vna cum viro ſuo domum ab illo recepti, & domeſticis, ruſticiſque operibus præpoſiti B. Virgine periculum vertente in auxilium.

## Auxilia corporis data proximis.

Svbuentum etiam corporibus, vt ea opera in auxilium redundaret animorum. Multarũ

adoleſcentularum pudor periclitabatur ob men dicitatem, atque deſidiam. coemptum à nobis linum, & ſingulis per matronam honeſtam diſtributum eſt penſum diurnum; laboriſq; pretio perſoluto conſultum eſt illarum non modo egeſtati; verum etiam inertiæ, atque otio; quorum inſidias non minus vereri pudicitia debet, quam paupertatis. Laudabile inuentum factũ eſt hoc in domo Lauretana; pro qua in ornatum, cultumque Deiparæ Virginis ad nos è diuerſis regionibus tranſmiſſa dona ſunt aureorum plus ſeptem millium. Florentiæ quoque illa induſtriæ coniuncta caritas, plurimos permouit ad largiendum. Cum multum æs in frequentiſſima concione perpetuo corrogaretur, diſtribuebatur per quatuor, aut quinque ſpectata virtute viros qui luſtratis antea priuatorum egenorum ædibus; vt quæque erant egentiſſimæ, ita illas ordine in codicem referebant: qua ratione eo difficillimo tempore percommode ſubuentum eſt multis calamitoſis familijs. Peruſij prope continuus eſt noſtrorum excurſus ad ægros morti proximos; cum vulgo dictitent, non videri ſibi officio ſatis fungi; niſi curent vt ex noſtris aliquis præſto ſit ægrotantibus. Romæ Nouitij triginta in quodã Noſocomio ad menſem ipſũ ægrotis miniſtrarunt. magnum præ ſe tulerunt ardorem caritatis, ſtudium Chriſtianæ ſummiſſionis, cæterarumque virtutum; idcirco magno adiumento, & ſolatio fuerunt ægris, non mino-

 ri do-

Digitized by Google

vi documento miniſtris mercenarijs, cæteriſque domeſticis. Quod Valetudinarij Præfectus luculentiſſimo teſtimonio, eoque conſignato litteris patentibus confirmauit. Hæc à noſtris in ciues: illa viciſſim à ciuibus profecta ſunt in noſtros.

## Templa, & collegia locupletata.

REcinetenſi Collegio liberalitate pioru̅ hominum acceſſere quadringe̅ti circiter aurei; & ſacellum atque ara auro, & coloribus exornata; quæ templo magnum ſplendorem addunt. Florentiæ vir bonus moriens, cum ſtatuiſſet dicere hæredem Chriſtum; dixit Societatem; cum tamen nulli e noſtris confiteri peccata ſoleret. Dempta certa pecuniæ ſumma, quam ſexaginta puellis in matrimonium collocandis attribuit, ad nos aurei circiter ſeptingenti peruenerunt.

Hoc anno ibidem obijs Bartholomæus Ammanatus maritus Lauræ Battiferræ. per illuſtre par coniugum. fuit ille architettus atq; celator tota Italia celeberrimus; nec poſtponendus plurimis antiquorum, vt fidem faciu̅t eius tùm ſcripta, tùm opera, quæ paſſim ab earum artium ſtudioſis nō ſine admiratione conſpiciuntur. Eximius vterque fuit religione, atq; virtute; noſtrum vterque ordinem ſumma caritate, pietate, conſtantia coluit; templum perelegans,

ſens, quod vir ipſe deſcripſit vtriuſque opera & ſumptibus ad culmen vſque perductum. ipſos viginti annos, aut eo amplius magno virtutis ardore, totiuſq; ciuitatis exemplo nobiſcum aſſiduè verſati ſunt; quippe quibus erat Collegijs cura potiſſima, cumque liberis carerent non modo facultates omnes poſt ſuum obitũ peruenire voluerũt ad noſtros, quos multos ante annos exactè inſtituerũt hæredes; quicquid ex neceſſario vitæ cultu ſubtrahere poſſent; ad ædiũ noſtrarum templiq; exædificationẽ, ad vsũ Collegij, quaſi ad filios ſumma cũ voluptate conferebant; tanto Collegij bono, vt quamuis poſt obitum ad nos, plus ſeptem millibus aureorum acceſſerint; tamen eorum morte etiam temporalem iacturam feciſſe videamur. dum viuerent Societati profuerunt; cum Societate verſati ſunt; prouiderunt, vt etiam poſt mortem Societati prodeſſent, & eſſent aliquo modo cum Societate; in eius enim gremio collocari ſua oſſa voluerunt, ſepultique ſunt in ædicula à ſe exornata eius Templi, quod perpetuum erit eorum pietatis ac liberalitatis monumentum.

## Scholæ, & Congregationis.

PEruſiæ reuocata eſt tertia Grammaticæ claſſis, quæ ante biennium indigentia, & caritas annonæ diſſoluerat. In Romano Gymnaſio propter ingẽtem numerum duplicandæ fuerunt

poſtremæ Grammaticæ claſſes. in quas hoc an- no primum introducta Græca lingua eſt non ſi- ne præmijs, breuique Dialogo. Senis geminæ grandiorum natu ſodalitates in vnam coniun- ctæ migrarunt in illuſtriorem, ampliorem q; lo- cum. Recineti cum honeſtis egentibus Congre- gatio pro veteri inſtituto, & pro virili ſubue- niat; ex his vnus pauperes in angiportis, in ædibus abiectioribus, atque deſertis, magna ſe- dulitate inquirit; illis tanta caritate, tanto do- cumento ciuitatis procurat, afferri, ipſe mini- ſtrat medicamenta corporis, & animi; vt multi ciuium exemplo permoti magnam pecuniarum ſummam ad eam rem libenter homini permit- tant. Peruſino ſodali res accidit, cui licet hoc eodem anno narrentur aliæ perſimiles; non ta- men eſt reticenda; cum enim ſit in eo genere, in quo rarum eſt iuuenibus vincere; breui tempo- ris interuallo ſæpius, reportata victoria illu- ſtriorem habet ſplendorem, ſtatuit exemplum virtius, & vertit in maiorem gloriam Deiparæ Virginis, in cuius plerumque patrocinio, atque numine talia facinora perpetrantur. Is, quem dicebam die dominico, qui proximè cineralia præit, eum ſe ſuorum ſtudiorum cauſa, domi con tineret, pulſato cubiculi hoſtio, ſurgit; impuden tem offendit mulierculam illuc à duobus contu- bernalibus data opera perductam. illico fores occludit. illa perſtat pulſando. pudicus adole- ſcens cum ſe oppugnari ſentiret, ad B. Virginem

con-

confugit, eius litanias, aliaſque precationes magno feruore pronunciat. interim petulans fœmina per vim apertâ ianua, iuuenem adoritur; quid faciat iuuenis? vim vi propulſat calcibus, pugnis, verberibus primum impetum frangit: tanto ardore ſpiritus in obſiſtentes irrumpit, vt ipſe arrepta fuga fugauerit hoſtes, & relinquendo pallium, ſpolia ex iiſdem opima reportauerit: & ſimili caſtimonia antiquum exemplum Ioſephi Patriarchæ renouauerit.

## Collegium Germanicum, & Anglicum.

VEnit in Collegium Germanicum Cardinalis Montis regalis, vt nomine ſummi Pontificis Alumnis indiceret ſcholam iuris Pontificij, eoſque tùm ad illud, tùm ad cætera ſtudia alacriter proſequenda adhortaretur. magnum habuit momentum: explicatur ius canonicum ab externo magiſtro alumnis intra domeſticos parietes. In cultu Eccleſiaſtico rite adhibendo magna ponitur opera; ex quo alumni in translatione ſolemni Sanctorum Martyrum Prothi, & Hyacinthi, a Pontifice Maximo ſacrum illud feretrum geſtare iuſſi ſunt, quamuis id muneris ad Patriarchales Eccleſias pertinere videretur.

Fœlix initium huius anni Anglicano Col-

legio

Digitized by Google

legio attulit nuncius allatus de alumno cui nomen Pormertus, qui hinc profectus paulo poſt in Anglia, vt alias alij, in Chriſtiana cauſa non niſi profuſa vita conquieuit. Nuncij immanis edicti poſtremo a Regina propoſiti, diraque vexationis, qua ibi catholici premuntur, nihil imminuerunt animi ardorem redeundi ad veram religionem tuendam, quin eo vehementius inflammati reuertendi cupiditate, quo faciliorem aditum ad effundendum propter Deum ſanguinem cernunt. Cardinalis Alanus huic furori tantiſper cedendum eſſe cenſuit; & ijs, qui ſtudiorum ſpatia eſſet emenſi in Gallia, uel Hiſpania diuerſandum, dum tempeſtas perſecutionis deſæuiret. efflagitarunt ij, vt propius accedere liceret ad littora vicina Angliæ, & in Belgio vel in Scotia præſtolari opportunitatem. idque eo conſilio, vt aiebant, quod ſperent ſi ibi eſſent, facile ſe per litteras ab eodem impetraturos poteſtatem in Angliam quoque penetrandi. Duo ex hac vita migrarunt hac vna re mærentes, quod in lectulo, non in acie pro Chriſto morerentur. Eorum alter miro animi candore, ac ſummiſſione iuuenis, extremo illo tempore bis alto quodam mentis exceſſu abreptus, vt ad ſe rediit, viſum ſibi eſſe dixit ſuum Angelum cuſtodem, & Sanctum Thomam Apoſtolum diuum tutelarem ſui nominis (vocabatur enim Thomas Vduardus) ab ijs per viſum in amœniſsima loca perductus ea vidiſſe,

qua

*quæ plus verbis pleniſsimis hilaritate, deſiderio Cæli, in Deum amore, quàm propria narratione explicabat: clauſulam habuit reliquæ vitæ ſimilem, ita multus fuerat in ſtudio pietatis, vt cum logicus eſſet, ipſæ ſchedulæ quibus ſe in ſyllogiſmorum formulis exercebat, omnes pietatem olerent, ac plane ſpirituales eſſent, vnum in exemplum apponam, quod erat huiuſmodi, ſempiterna vita, ſempiterno, ſi fieri poſſet, labore eſſet emenda, Paradiſi gloria vita eſt ſempiterna, labore igitur, ſi fieri poſset, eſſet emenda ſempiterno. vſque eo pij viri omnia in Deum referunt, Deum vbique, ſi quærant, inueniunt. Alter iam theologus, paulo ante obitum vt in Societatem noſtram admitteretur ſummis precibus impetrauit: cum diceret multis id ſe annis exoptaſſe, verum, vt ante in Angliam ire poſsit petitionem diſtuliſſe. Octo ſacerdotes in Angliam ad rem catholicam iuuandam dimiſsi menſe ſeptembri, cum a Sancto Pontifice poteſtatem abeundi peterent, de more, & benigne auditi ſunt, & benigniſsime cōpellati; cum inter cætera piè commotus animo Paſtor optimus ſe eis inuidere tam certam occaſionē martyrij diceret. Nec minor fuit animorum commotio, quam in eorum diſceſſu Collegium, eiuſque moderatores magna vi lacrymarū vtrinq; profuſa ſignificauerunt. Et ſanè omnium ardor erat maximus, præſertim vero Ioannis Tuleſij (id erat iuuenis nomen,) qui profecto ardere*

*diuini*

*diuini amoris igne videbatur, vt eius incenſa oratio ſine admiratione audiri non poſſet. eo in medio ponti Miluio (illuc enim vſque magna pars alumnorum exeuntes Vrbe proſequuta eſt) ad contubernales conuerſus, en, inquit, magno à vobis gaudio Chriſti cauſa diuellor, & hic iam gradus, quem facio, primus, eſt ad martyrium gradus. prædictionem comprobauit euentus; nam quaſi recta ad cædem pergeret vix pedem in Angliæ portum intulit, cum interceptus vna cum alijs duobus (qui an ex comitibus fuerint adhuc reſciri non potuit) è ſatellitum manibus euaſit. deinde verò iterum captus, crudeli eius regionis more fidei cauſa ſuſpenſus eſt, & trucidatus.*

## Miſſiones.

IN Anglia Sanctus Chriſti confeſſor Thomas Mettanus morte iuſtorum moritur in cuſtodia: in qua propter fidem catholicam ſeptimum iam, ac decimum annum detinebatur: martyrium eo moleſtius, quo diuturnius; eo ſeuerius, quo remotius ab effuſione ſanguinis, quam ille tantopere exoptabat. Ac ne beatus ille carcer eſſet noſtris hominibus vacuus, in eundem, P. Mettani loco, eſt incluſus P. Robertus Sotuellus, ac iã tertio ita grauiter tortus, vt prope animam egerit (miſſus è noſtro Romano Collegio fuerat) hanc vnam vocem extor-

torſerunt. Sum ſacerdos; & verbis abſit iactantia, religioſus è Societate Ieſu. traieci in Angliam, vt meis ciuibus, quam veritatem catholicam in Romano fonte religionis hauſi, verbo explicarem, teſtarer ſanguine. ſi titulū mortis quæritis, hoc ſit ſatis cauſæ ad extremum ſupplicium. proferte ferrum, ſatis fiet votis veſtris, atque meis: mortem intendetis, martyrium referam. non deerit tanto animo illa corona.

E Romano Collegio bini de noſtris miſſi ſunt in oppida Vrbeſq; propinquas, Reate, Setiam, Montem Francum, Oruietum. longior ſim, antiquo ſi more proſequi velim quicquid illi operæ poſuerint, quicquid illi fructus collegerint. prætermittenda ſunt omnia vſitata, communia; quamquam hæc ita multa, atque opportuna fuerunt, vt certe multitudinem, atque opportunitatem ſingularem habeant, & eximiam. attingam nonnulla è multis, quæ ſolatio, atque documento poſſint eſſe Socijs, & è quibus fiat coniectura de cæteris. Opera illa noſtra gratuita, pro Inſtituto Societatis nulla ex parte mercennaria, qua fit, vt magno animo pecunias, & dona non modo non expetantur, ſed vltro ſummiſque precibus oblata reijciantur, ſecundum Deum primas partes habuit ad proximorum animos præparandos, quod etiam alicubi ſummam habuit admirationem: cum enim Superioribus res neceſſarias ab Vrbe ſubmittentibus

bus hinc nihil attingeremus de ſuo, hinc nullis vigilijs, laboribus, incommodis pro eorum vtilitate parceretur, cum catechiſmi canticis in obſcœnarum Odarum locum ſubſtitutis agri, valles, colles ſacroſancto IESV, Mariæque nomine, & inſolitis Dei laudibus perſonarent, cum multi dæmones ex obſeſſis Dei beneficio, & exorciſmis eijcerentur, repræſentari ſibi, & rediſſe tempora naſcentis Eccleſiæ prædicabãt. multa diſſidia ſublata ſunt, etiam inter familias principes, inueterata, annorum interdum duodeuiginti, non ſine magna contentione corporis, animique. eam ad rem nihil æque conducere compertum eſt, ac ſuppliciter id a Deo contendere, cui omnis voluntas loquitur, atq; ipſos diſſidentes maxima tractare humanitate, pari tolerare patientia. Vbique ludi magiſtri accenſi ad teneras mentes puerorum imbuendas pietate, deque eius præſtandi ratione diligenter inſtructi pręceptis, ijsque libellis in manibus habent ætatem integram, & apud ſuos multum valent auctoritate, ex quo prodeſſe plurimum poſſunt, ſi velint. Quoniam fructus eorum diuturnior, & amplior eſſe ſolet, varijs in locis inſtitutæ ſodalitates, deuinctæ legibus, vel egenorum, vel doctrinæ Chriſtianæ, vel pacificationum, vel aliorum procuratione munerum pro opportunitate loci, atque temporis. Rate Congregatio eſt in hunc modum erecta, vt e ſingulis Parœcijs, vna cum Parocho bini fideles, probatiq;

viri

viri delecti, ſuæ quiſque Parœciæ inopiam egeſtatemque cognoſcant; ſimulque deinde coacti, ſingulis egentibus quam optime proſpiciant; neque vero ſolum inopiæ pecunia conſulant; verum etiam animorum diſſidijs, & morbis conſilio, atque prudentia medeantur. Inductus Orvieti mos eſt Deiparæ Virginis conſalutandæ, quoties ad æris campani ſignum publicum initur à magiſtratu conſilium; quo commodius, & fælicius deliberatio trãſigatur ab omnibus, quam illi ſententijs, cæteri precibus adiuuent. In Monte Franco, pia vxor mæſta erat admodum propter impium ſtatum viri ſui, qui nouẽ ipſos annos publica vrbis offenſione numquam ſe Deo per confeſsionem conciliauerat, illique, vt ſpiritus ſaluus fieret à Deipara Virgine morbum corporis impetrauit, quo ſex diebus adductus eſt ad extremum vitæ diſcrimen. is igitur, dum vexatio dat intellectum, accerſito noſtro ſacerdote peccata detegit, ipſo initio incepit dicere mali grauitatem confitendi labore nihil admodum augeri, paulo poſt ſe melius etiã habere, atque ita deinceps, quo longius expiata mente procedebat, eo maiorem ſibi ad valetudinem fieri acceſsionem. ergo confeſsione abſoluta omnem quoque vim morbi ſentit eſſe depulſam, & poſtridie mane, ſumma medicorum admiratione de lectulo ſurgit incolumis, vt infirmitatem ad vitam animi, non ad mortem corporis eſſe cognoſceret. Occulto Dei permiſſu nefarius

*ſarius quidam iuuenis, qui deinde, vt veneficus, miſerabili vitam exitu concluſit in vinculis, malorum Dæmonum lue oppidum illud infecerat, quos in fœminas multas, easque omnes ſibi propinquas, per inuidiam dumtaxat, atque odium illigauerat. ij pro diuina prouidentia, quæ ſemper ſolet mittere cum morbo medelam, qua hebdomada eo noſtri pedem intulerunt cœpere ſe cum furore prodere. factum periculum, vtrum id fieret aliqua mentis, aut corporis imbecillitate vi melancholiæ, aut humoris alterius; ſed cum ea denuntiatione arcanorum, quæ ſolus ipſe pater nouerat, ea intelligentia peregrini ſermonis, ex motu ſchedulæ alteriuſue rei procul diſtantis, quam nemo pertingeret, et ſimilibus experimentis compertum eſt, inibi naturam eſſe mortali maiorem; admota remedia ſunt ſuperiora corporeis, exorciſmi, ieiunia, mortificationes, diuturnæ, humillimæque ad Deum preces. his armis victum eſt, expulſi hoſtes, captiui liberati, receptæ arces animæ quas occupauerant. tres dæmones, dum pellerentur, cum quærimonia fatebantur inuiti, ſe præter uim exorcizantium, obſeruantia obſeſſæ fœminæ in Dei matrem expelli. Deipera, inquiunt, interdixerat ne ſuo die, hoc eſt die ſabbati, aut vim, aut tantam vexationem adhiberemus, vt illa percurrere coronam precatoriã non poſſet; contra vero ſi vel ſemel ſua ſponte, aut alijs tentationibus, excepta vi, intermiſiſſet*

*ſet*

ſet; licebat nobis eam ſtatim, vel in proximum fluuium, vel ab his altisſimis rupibus dare præcipitem. numquam intermiſit, & nos nihil lucrati in ſumma ſpe, re tamen infecta deturbamur.

Laureto Eugubium excurſum eſt à Sacerdote eo ſolum conſilio, vt ad ſanitatem mẽtis Deo duce reuocaret virum quẽdam nobilem; qui annos iam quatuor, & viginti à Sacramento pœnitentiæ publico dolore Epiſcopi ſuorum, & vrbis abſtinebat. vſque eo animo disſidebat à coniuge pia, nobilisſimaque fæmina, vt, quemadmodum amicè deinde retulerunt, hæc decreuerit facto diuortio repetere paternas ædes, iureiurãdo adhibito numquam ſe in viri ſui cõſpectum eſſe venturam: ille ſtatutum habuerit in animo, ac deliberatum eo recedere, vnde neq; vbi nam eſſet ſcire, aut ſubodorari vnquam poſſent. Sacerdos eo die forte hominem offendit lugentem filij natu maximi mortem, ſollicitum de morbo alterius, qui afflictatus asſidua febri decumbebat. hominem clam ſeducit, & vſus occaſione exorditur ab eo, ne filium vnum a Deo ſibi miretur ereptum, ereptum iri alios niſi reſipiſcat: Deum, vt eſt expertus, multæ eſſe patientiæ, nõ minoris eſſe iuſtitiæ. ſi ſemel flagellum arripit, vt contra eum arripuiſſe videtur, non conſiſtere in primo ictu, multiplicare verbera donec hominem vel corrigat, vel proterat. alijs huiuſmodi ita vrgere perſiſtit, vt eadem hora vir il-

le de confeſſione peccatorum inſtituenda ſerio cogitare cœperit, odia ſimultateſque deponere, & paulo poſt vna cum coniuge, quod numquã antea ſimul egerant ſacrum Euchariſtiæ conuiuium inierint, quo vtriuſque ita copulati ſunt animi; vt ſibi tum primum coniunxiſſe connubium viderentur. vtq; plenum eſſet gaudium, adit Sacerdos alium filium laborantem, quique ſi moreretur, parentes cum eo ſe pariter extinguendos eſſe dicebant, iubet omnes poſitis genibus Deo ſupplicare, ipſe interim precandi formula a Sancto Vincentio Ferrerio inſtituta, vſus; eiuſdẽ Beati viri reliquias puero admouet, qui illico relictus a febri conualuit, nec amplius eſt eo morbo tentatus. factum conuertit ad ſe totius vrbis admirationem, ac ſermonem cum magna dei gloria, nec ſine laude Societatis magnæ factæ gratulationes; vxori præſertim honeſtisſimæ fœminæ, quæ cum ante virum haberet materiam perpetui mœroris, cum modo eſſet in maximo luctu propter filios alterum languentem, alterum emortuum; illico tanta, tamque repentina mutatione ad tantam eſt euecta lætitiam, vt palam prædicaret Dominum eſſe qui mortificat, & viuificat. In his locis magna eſt Societati vniuerſæ conciliata beneuolentia, eaque declarata non modo quaſi per vim retinendis ijs patribus, & à Patre Generali repoſcendis; verum etiam cupiditate impetrandi Collegia, etiam atque etiam

poſcit

poſcit Oruietum. quod negocium Illuſtriſsimus Cardinalis Simoncellus imprimis prouehit, qui & millenos nummos aureos defert, locumque ad noſtra munera exequenda peropportunum;

# PROVINCIA NEAPOLITANA.

## Noſtrûm Numerus, Ingreſſus, Obitus.

CAPITA trecenta quadraginta ſeptem verſantur in hac Prouincia, decem plane domicilijs. Neapoli in Profeſſorum domo nouem, & ſexaginta. In Collegio decem ſupra centum. In Nouitiatu quinquaginta. In Collegio Nolano ſeptem ſupra viginti. Septem minus in Aletino. In Catacenſi, Barienſi, Salernitano, Coſentino ſingulis ſenideni. In ſede Barulitana ſeptem. Diſſolutum eſt Collegium Cirinolanum, quod oppidum erat noſtris muneribus impar, curatumq; vt id fieret quàm paratiſsimis oppidanis, & fundatoribus. Mortui ſunt duodecim, ſex, & viginti recepti.

# Ad fidem bonamque frugem Conuerſi.

NEapoli in domo profeſſa ſeptem Turcæ ad Chriſtianam religionem aggregati iucundiores quodammodo fecerunt labores toleratos in ijs conuertendis, & erudiendis. Cum in templo noſtro, feſto die, ſolemni pompa, conuentu celeberrimo Patronis, & Compatribus Principibus viris, atque Dynaſtis, albis ipſi induti veſtibus, ſacro Baptiſmi fonte luſtrati ſunt ſumma, piaque ſpectantium gratulatione, teſtata plauſu, atque lacrymis. Captiui quinque Algerij recõciliati ſunt Chriſto, quem deſeruerãt. Ereptæ e quæſtu meretricio per quadrageſimales Conciones fœminæ ſex: neue quod ijs fere accidere ſolet, prauæ conſuetudinis æſtu retraherentur in pelagus, per Matronas ſocietati deuotas curatum eſt, vt ligarentur matrimonio, vel in alio tuto portu collocarentur. Adoleſcens, qui colebat ſocietatẽ, male cautus iniit amicitiam cum Græculo Mago, & cum Clerico Apoſtata, qui non vnum, ſed plures ordines deſeruerat. curioſitate potius, quàm auaritia ductus, theſauri effodiendi cauſa, cum ijs prope Puteolos cryptam, aut verius cuniculos quoſdam ingreditur; vbi perueniunt ad imum locum. Momento temporis faces, lanternæ,

atque vniuerſa lumina extinguntur, & Apoſtata exclamans, heu, cecidit mortuus: perterritus adoleſcens, perterritus Magus ſtudijs diſparibus. Ille confugit ad Sanctam Barbarã, quam præcipuam patronam colebat, procidit in genua precibus, pœnitentia, promiſſis precatur propitios cœlites. Hic ad incantationes conuertitur, aduocat Dæmones, cũ ſæpius verberato ſilice, neque ſcintillam ignis eo tempore impetrare poſſet ab ijs paulo poſt liberaliſſimis futuris. Deum, diuoſque maledictis exſecrandis onerat. Diſpari exitu hic inter blaſphemias animum efflat. Ille foras euadit incolumis animam apud noſtros generali cõfeſſione purgat, melioremque vitam inſtituit, ſatis ſuperque doctus quid expectandum ſit à malefico, & quid de homine deſertore ſperandum.

Cataca quidam e ſummo templo clam ſubripuerat Margaritas, & gemmas pretij, nõ contemnendi. Vnum excommunicationis nexum ſubterfugere non potuit. eoque impacto morbũ contraxit, quem pluribus menſibus à ſe remouere nunquam potuit, donec noſtro ſuadente, per vomitum alienæ rei valetudinem corporis animique recepit. Conſentiæ vir nobiliſſimus, atque diſſolutiſſimus, cultu Societatis ad eam probitatem perductus eſt, vt laceratus vulneribus letalibus Deo gratias egerit, elaborauerit, vt crimen condonaretur percuſſoribus, à ſuiſq; contenderit, vt idem efficerent.



Digitized by Google

# Oratio in Templis, & Doctrina Chriſtiana.

*PRecatio quadraginta horarum, quæ poſtremis baccanalibus inſtituta eſt, ad auertendam, vel frangendam licentiam populi furentis tantam habet celebritatem, multitudinem obeuntium ſacramenta Confeſſionis, & Euchariſtiæ, vt eos dies prope addidiſſe videatur ad Quadrageſimales. Magnam vim habuit ad populum retinendum pompa exterioris apparatus, & perpetuæ conciones, adhortationes, cantus. idque iam in omnibus ferè collegijs: ex quo numerare loca ſingula ſuperfluū eſt: & res alioqui digniſſima, cum facta ſit communis, vt pateatur nouis legibus annalium, proximis litteris, non attingetur. In profeſſorum Domo Traditur ibi Doctrina chriſtiana priuatim pueris, & hominibus. at in Neapolitano Collegio diebus feſtis in diuerſis claſſibus opifices octingentos prope numeres ſtudio doctrinæ, atque vitæ chriſtianæ vacantes. Quæ vtilitates, ex eo manarint plus habent veritatis, quam ſpeciei vniuerſa Ciuitas probat illa vero, & pio quodam animi ſenſu commouetur, cum elato hominis tenuiſſimi cadauere ſpectet quingentos viros proſequentes ordine ſumma ſignificatione pietatis recitantes coronam, officium B. Virginis,*

*ginis, aliaſue preces. at multo magis extollit, & cum admiratione ſuſpicit mirum in modum correctam in contrahendo, & in rebus agendis ſidem.*

# Congregationes Deiparæ Virginis.

NOla ad vetera ſodalitia Clericorum, & Nobilium acceſſit tertiũ diſcipulorum, ſunt ita bonus odor Chriſti, vt ad ſcholas attraxerint religioſas familias ſanctorum Auguſtini, atque Franciſci, nec nõ ſeminarium. Neapolis in Collegio, cum Regnum vſque eo morbis premeretur, & inopia. ſtatuerunt Congregationes ad iram Diuinam placandam, vt quiſque aliquid in medium è ſuis opibus ſpiritualibus afferret ieiunia, verberationes voluntarias, vſum cilicij, peregrinationes, eleemoſinas, varias corporis afflictiones, opera miſericordię atque pietatis. numerum attigerunt octo, & viginti millium. & vero his theſauris vexationes peccatis debitę rediminutur. tres, & ſexaginta è ſuis hoc vno anno exceptos à ſæculo incluſerunt in arce religionis. quantum ibi ſtudium virtutis vbi ita multi ad tantum perfectionis culmen effloreſcunt? Quidam vero ſodalis, cui frater eſt interemptus iniuriam Deipara Virgini condonatam, neque priuata vi,

neque iudicio publico proſequi voluit. ſed curauit, vt percuſſor ſtatim admitteretur in congregationem. vt, inquit, culpam clarius agnoſcat, deteſtetur vehementius, & meliore fide in gratiam cum Deo redeat. animum inimico reddidit, qui corpus videbatur eſſe erepturus. In profeſſorum domo Congregatio Nobilium vſa occaſione, multorum ſanauit animos, dum curat corpora; nam ad ſacramentorum vſum, vitamque meliorem allexit familias honeſtas; ſed inopes, quas pudor à mendicando prohibet, ijs nomine extraordinariæ eleemoſynæ elargita eſt aureos mille quingentos. Quidam donauit aureos ducentos, vt defenderentur binæ Virgines, quarum honeſtatem ipſa mater oppugnabat. Alter Aleſij mendicum vlceribus plenum, atque ſordibus medio foro ſuſtulit in humeros, & non ſine magna omnium admiratione vſque ad xenodochium portauit. Incertus plane ſum, vtrum referam eum, qui migraturus è uita pia quadam ſimplicitate iuſſit, vt ſchedulæ omnes, quæ ſibi menſtrua ſortitione ſanctorum obtigerant, monilis in ſpeciem contextæ de collo ſuſpenderentur, vt eo, vel ornatu, vel patrocinio munitior, obuiam morti procedat.

## Adiumenta Corporis.

NEapoli cum pueri enecti fame, atque nuditate reperirentur interdum in angulis

urbis extincti, cæteri ab vno profeſſorũm coa-
cti ſunt in certum locum; vbi aluntur ſumpti-
bus piæ Matronæ, & opera Collegij inſtituun-
tur Chriſtiana doctrina, atque moribus. Catanæ
pugnandum fuit contra famem, & contra mor-
tem, quæ graſſabantur in populum. Enitendum
vt locupletiſſimi certos pauperes ſuſciperent
alendos. vt alijs donetur panis è publico, emen-
dicanda ſtipis hoſtiatim, pro ijs, qui retineban-
tur in carcere; neque tempus erat tergiuerſandi,
aut agendi ſegniter, omnibus fere in extrema
neceſſitate conſtitutis. Eaq; ipſa efficiebantur,
dum cuncta decumbentium, atque morientium
gemitu perſtreperet. vt vbique, vel in mortuos,
vel in moribundos incideres, vel cœli intempe-
ries, vel morbi contagio, ſpatio breuiſſimi tem-
poris abſumpſit ad duo millia capitum. nume-
rus in non maxima ciuitate maximus. atque
omnibus metu perculſis, nulli omnino, neq; ipſi
parochi accedere audebant ad ægros muniendos
ſacramentis, aut in morte iuuandos. ex quo
Dei beneficio totus labor, ideſt tota meriti ſeges
in ſocietatem recidit, vt clauſo interdum Colle-
gio noſtri omnes numero ſexdecim, nec certo ſpa-
tio ſumpto ad neceſſariã quietẽ, noctes totas, to-
toſque dies impenderent ad varia auxilia ani-
marum, in priuatis domibus, in publicis cuſto-
dijs, inter pericula, non dubia, & contagionis,
& mortis: utque id conſtaret apertius, tres oc-
cumbuerunt. in quibus P. Leonardus S. An-
geli

geli Rector, & qui Rectori ſucceſſit P. Franciſcus Moranus. quorum vterque id morte ſua teſtatum reliquit. ſe Rectores debuiſſe fratribus ſuis, non minus laborum, atque periculorũ exemplo, quam munere, atq; dignitate præire. Salerni excitatus Mons eſt, quem Pietatis appellant, ærarium pauperum virorum, atque honeſtarum Virginum. Ne illi conficiantur fœnore, ne harum pudicitia propter carentiam dotis periclitetur. Hinc fit, vt dum alienæ nos inopiæ ſubuenimus, Deus noſtræ curam ſuſcipiat. Aleſij in hac ſumma annonæ inopia frumentum abunde ſuppeditatum. Templo donata luſtrale vaſculum, cum aſpergillo, pixis vna, calices duo, Chriſti effigies ad pacis oſculum, Crux plena reliquijs. omnia ex argento. bina ornamenta, tùm ſacerdotis, tùm altaris, aliud ex aurea tela, aliud ex argentea. Collati aurei ducenti quadraginta, vt circumducerentur argento reliquiæ, ex capitibus vndecim millium Virginum, quas tranſmiſit R. P. Generalis. Legati aurei octingenti, mille attributi ad ſcholarum exædificationem. bina templi ſacella exornata ſunt inaurato lapide. Nolæ vt bina item exornentur attributi aurei octingenti; donatus lychnus penſilis ex argento. Sapro profeſſorum veſtiario ſupellex addita aureorum circiter ſeptentorum. Domui vero hoc toto biennio erogati aurei vicies mille, quibus ſolutum æs alienum aureorum tredecim millium; cæteris prouiſum noſtræ vitæ neceſſitatibus.

Miſ-

Digitized by Google

# Miſſiones.

BArio excurſum eſt in Bituntinos. A domicilio profeſſorum, Policaſtrum, Tarentum, Aquilam, Algerium olim ſaldas elaboratum plurimum in miniſterijs Societatis noſtræ ſolitis: Quæ patrata ſunt Aquilæ, ſi genus ipſum rerum conſideres vulgaria iudices. ſi vero multitudinem, opportunitatem, vtilitatẽ, cætera adiuncta, ſunt eximia. Cõmune eſt compoſitam eſſe pacem inter duos fratres Germanos ex patre, ſed odiorum diuturnitas, multæ, grauesq; cædes hinc inde patratæ, ſciſſa in duas factiones ciuitas, irrita aliorum in ijs conciliandi opera; faciunt, vt hanc ego narrationem, iſque perſimiles ægre prætercam. Captiui ſexaginta liberati pecunia; atque Algerio Neapolim reducti, per vrbem incedentes attulerũt populo magnam uoluptatem, & incitamentum ad illud opus vrgendum. Conſentia itum in vicinum oppidum, in quo, vt diuturnior eſſet populi vtilitas, neue, quod fere accidit, diſcedentibus noſtris cuncta diffluerent, prudenti conſilio inſtitutæ ſodalitates; quæ nõ ſuos modo fratres in certo quodam genere piorum operum exerceant, verum etiam alios verbo, atque exemplo doceant. Idem factum in oppidis Policaſtro vicinis. In quorum vnum, vix credas, ſacrarũ imaginum cognitio fere nulla peruenerat: cum fa-

cultas

cultas non eſſet ſuppeditandi ſingulis, docti ſũt elegantes cruces è lignis componere, collocare in cubiculis, colere mane, atque veſpere. quod tanta probatione fecerunt, vt certo die menſis, quo Chriſti corpus de more oppidorum circumfertur, eas ipſi manu geſtarint, dum proſequerentur: laudandum pietatis indicium. ex quo incitantur ad progrediendum modeſtius, & ad cruces elegantiores, non ſine religionis decore, atque vtilitate concinnandas.

# PROVINCIA SICILIA.

CENTENI circiter Meſſanæ, atque Panormi; hic domus Profeſſorum cũ nouitijs habuit capita ſeptem, & ſexaginta, Collegium quatuor, & triginta. Meſſanæ verò par domui, Collegium. Collegio Nouitiatus. Catana triginta numerauit. Syracuſæ tres, & viginti. Calataiero ſeptendecim. totidem Drepanum. Binona ſexdecim. Minium quatuordecim. Rhegium duodecim. totidem Mons Regalis Reſidentia. Calataneſtenſis quatuor. Ex quo numerauit hic annus ſocios omnino trecentos quinquaginta tres, eripuit quindecim, adſcripſit vnum, & qua-

Digitized by Google

quadraginta, addidit bina Collegia ad quatuordecim domicilia quibus Prouincia Sicula continetur, alterum Marſale, quod propediem inchoabitur, alterum Melitæ voluntate, atque opera Clementis Pontificis eoque miſſi ſunt tres è noſtris.

## Qui obierunt, & qui in ſocietatem adſcripti ſunt.

PAnormi in domo profeſſa deceſſit P. Ioan. Baptiſta Rugerius imitandus ob æquitatem animi, qua nullo diſcrimine audiebat cuiuſcunque conditionis, atque fortunæ confitentes. E ſodalitio opificum octo ſocietatem ingreſſi, quorum vnum oſtendit ſe elegiſſe viam conſiliorum, cum percutienti grauiter maxillam vnam, porrexit aliam.

In Collegio autem Congregatio B. Virginis quatuor ſocietati dedit, migrauit è vitæ incomodis Ioãnes Baptiſta Tuballinus inſignis ob naturæ dona, inſignior ob virtutes animi; is totũ ſeptenniũ oppugnatus acerbiſſima paralyſi propter neruorum diſſolutionem omni motu priuatus reliquit inuictæ patientiæ documentum; neque prouocatus à ſuperioribus adduci potuit, vt aliquid vnquam ad ſuam voluntatem peteret: in doloribus acerrimis nunquam dedit ſignũ doloris, quin Spiritus ſancti munere tantam lætitiam

titiam animi, vultus hylaritate præferebat, vt intuentes in eum, viderent faciem eius: tanquã faciem Angeli, nec quiquam ad eum accederet animo ita afflicto, atque perturbato, quin pacatus erectuſque diſcederet. In Collegio Meſſanenſi ex maiori Congregatione ſtudentium adſcripti in ſocietatem quatuor, tres è minori. migrauit in cælum vti ſperamus. P. Antonius Sardus ſenex innato candore animi, atque ſimplicitate dilectus Deo, & hominibus: Illuſtris erat toto Regno ob inſignem peritiam, & quendam quaſi principatum artis medicæ. audiuit à Chriſto Veni poſt me faciam te fieri medicum animorum, quam vocẽ ita generosè complexus eſt, vt non modo ſe ſuaque animum, corpus, ſeruos, fortunas omnes, ſed vniuerſam propè familiam Deo deuouerit. Filiam, & vxorem caram in primis adduxit, vt cuperent, & amplecterentur Monaſterium ſacrarum mulierum ſuo magno ære, maiore labore exędificatum, ipſe raro exemplo ſocietatem ingreſſus præmiſſis tribus liberis, adoleſcentibus tantæ indolis quantam illorum præclarus exitus confirmauit, & vno facto ſe multiplex holocauſtũ offerret Chriſto illique nõ vno, ſed pluribus animis ſeruiret, quem habiturus eſt æternum generis propagatorem in cælo. Calataierone P. Gaſpari Satali Rectori per viſum apparuit ſocius quidam noſter, qui obierat priore anno, illumque monuit, ſe pararet ad mortem; quippe fore, vt intra cer-

poſt menſes migraret è vita. vt credas, inquit, vaticinationem eiuſdem generis vaticinatione confirmatam, poſt dies non ita multos peribit P. Hieronimus Falconus. incidit in morbum hic P. Hieronimus, ſeptimo die perit. tum verò nihil dubitans Rector ſe diligentiſsime comparare, aliorum ſe orationibus etiam per literas commendare, & præſtare illa omnia, quæ ad tantum negotium conducerent, nec fuit labor inanis, nã tempore præſtituto adfuit febris mortis prænuncia. hanc conſequuta decimo quinto die mors eſt, qualem decebat eum, qui annos tres ſupra triginta in ſocietate vixerat, & qualem ſe ab eo exigere illa prædictione oſtenderat Deus optimus Maximus.

## Quæ in communi fame præſtita ſunt à nobis.

COmmunis penuria, communem occaſionem caritatis exercendæ præbuit; nam in hoc ipſo horreo Italiæ vſque eo inopia rei frumentariæ laboratum eſt, vt paſſim neceſſitas corporis in periculum traheret mulierum, virginumque pudorem animas plurimorum. noſtro conſilio, labore, ære enisũ eſt, vt vniuerſi ſubleuarẽtur adhibita noſtra opera, admota opera aliorũ, idq; tum Biuonæ, in Monte Regali, & alijs ferè Collegijs, tum Drepani; vbi publicum conſilium noſtrorum

ſtrorum ſuaſu collectum cum ea de re deliberaret; ſtatuit inter cætera vt vir è Societate pro concione diuites, atque nobiles hortaretur ad effuſam largitionem eleemoſinarũ. quod Deo uerba animante ita ſucceſſit, vt aurei torques, è collo detracti, argentea vaſa aliaque eiuſmodi in medium collata magna pauperibus auxilia coegerint. Meſſanæ Nouitij virtutem, & oſtenderunt, & auxerunt, dum ſæpiſſimè annona oſtiatim emendicanda, & in carcerem ſuis humeris portanda tulerunt opem captiuis, quorũ inopia vſque eo proceſſerat, vt è ferreis cancellis grandi hamo vagantes, in via canes expiſcarentur, ac ſummo plauſu (argumentum ſummæ miſeriæ) partirentur in alimentum. Congregatio nobilium amplexa inopes eſt menſtruis, & amplioribus eleemoſinis: Maior verò Congregatio ſtudioſorum partienda cum iiſdem parte proprij panis, qui viritim, & parce diſtribuebatur, oſtendit ſe opibus quidem inferiorem eſſe, pietate verò non imparem. Panormitana domus quamquam acceſſu Nouitiatus aggrauata non exiguo numero nouitiorum toto illo tempore pauperes ducentos aluit; effecit vt ternis domicilijs haberent ſeparatum famis, & mortis effugium viri, fœminæ, pueri. Noſtri ter ad ſtipem pro ijs poſcendam egreſſi vna cum Archiepiſcopo atque Senatu, quos commodiſſimè in partem conſilij, atque operis traxerunt. hos conatus Deus ita fortunauit, vt inter plauſus pro-

probantium, admirantium, offerentium ſpontè qua centenos, qua quingentenos aureos decretum ſit de annuo redditu conſtituendo, cuius caput ſummam attingeret aureorum viginti millium. ſed inſtitutum annona laxata diſſoluit; impenſa tamen ad duodecim millia aureorum præter eam pecuniæ vim, quæ priuatim donanda fuit ingenuo pudori multarum familiarum.

## Nouitiorum Conſtantia.

Nouitiorum in domo probationis conſtantiam Dæmon varijs modis per eorũ fortiſſimos hoſtes, nempe domeſticos oppugnauit; ſed continenter victus, & vinci ſe indignatus quẽdam pro palam aggreſſus eſt, qui cubabat ſtatim poſt ingreſſum morbo periculoſo correptus vſus occaſione induit pij modeſtiq; adoleſcentis aſpectum. conſolari ægrũ, condolere morbi grauitatẽ, inſinuare vnicã eſſe illius curandi rationẽ, vitã laxiorem, blanditias parẽtum, ſecularia commoda, atque domeſtica; longum eſſe curſum religionis, qui terminatur iiſdem quibus vita ſpatijs; non eſſe illi de meta cogitandum, qui propter virium imbecillitatem in carceribus defecerit, adoleſcens primo commoueri, & contra tentationem identidem inuocare IESV nomen; vbi verò in orationis progreſſu, non modo pulſari aures, ſed

ſtiam eu accendi facibus quibuſdam furialibus animaduertit, ſuſpicatus id quod erat, ſubeſſe Dæmonem, proſilit è lecto, eumq; vaſculo aquæ benedictæ perfudit, qui tùm ſe maximè dæmonem oſtendit, cum ſubito diffugiens ab oculis adoleſcentis euanuit.

## Quę nomine ælcemoſinę piorum caritas ſocietatem donauerit.

DEbemus gratum animum, & orationes pijs amicis, eorum morte ad Drepanitanum Collegium acceſſerunt aurei mille ad Monte Regalenſe fundus, quem octingentis æſtimes. Minæi coempta vinea vicina Vrbi, atque percommoda noſtris vſibus. Meſſanæ quidam integra valetudine teſtamentum obſignauerat, quo reliquerat nobis decem millia aureorum, & capſam confectam rebus, vt fama eſt, maximi pretij; ad eius obitum id filijs ægerrimè ferentibus Collegium perfacile ceſſit iuri ſuo, qua magnitudine animi ita victi hæredes, vt libentes, & vltro bis mille aureorum obtulerint, quæque probatio conſecuta hoc factum eſt emenda illo diſpendio fuerit. Supellectilem, qua auctum ſacrum veſtiarium eſt duobus millibus aureorum æſtimes.

PRO-

# PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

*Socij ducenti duodecim. Domicilia ſeptem. Mediolani fere centum. quatuor & triginta inter Profeſſos ad ſancti fidelis. duo ſupra ſexaginta in Collegio. duo & triginta in Aronenſi Nouitiatu. triginta in Collegio Genuenſi. Auguſtæ Taurinorum totidem. duodecim inter Vercellenſes. par numerus inter Comenſes: recepti in Societatem ſeptem decem. Tres dedit Beata Virgo è ſuo cætu Brerano, duos Taurinēſe Collegium: vtrumque inſignitum laurea iuris ſcientiæ; alterum etiam in publica Academia profeſſorem. mortui ſex.*

## Ad fidem religionemue traducti.

*Genuæ Turcæ duo aggregati Eccleſiæ. A ſocijs Taurinenſibus reconciliati ſunt Chriſto hæretici quinque ex his duo in cœno nati, atque nutriti; Hebrea virgo luſtrata fonte baptiſmi. Alia item inſigni pulcri-*

tudine perdite amabatur a viro potenti: pia matrona rem ſubodorata, eam in domum ſuã recipit, vt ab imminenti periculo liberet: ſed cum neque ſe tutam ſatis videret aduerſus impotentis amatoris opes; eam clam Mediolanũ amandat, (erat enim in ciuitate proxima) atque Societati cõmendat. O altitudo ſapientiæ, atque ſcientiæ Dei. alius diuinus amator felices illi tendebat inſidias; hominem quaſi venaticum canem immiſerat, vt eam in ſuos laqueos ſalutares impelleret. collocatur in externo tecto honeſtiſſimo: docetur de fide Chriſtiana: quam ita auide imbibit, ita conſtanter amplectitur, vt magis hanc ſecuta eſſe, quam fugiſſe vim appareret. ſpem procus oſtendit legitimi coniugij. quod illa prius cogitauerat quidem, ſed auſa non erat ſperare, neq; optare. quamlibet mouiſſet longe impar atque honeſtiſſima conditio, non tamẽ eam, cui ſe Chriſtus ſponſus oſtenderat. ſumma omnium ordinum frequentia atque gratulatione baptizatur. Deoque dicat florem illum ætatis, & monaſterium dote comparata per noſtros ingreditur. E mulieribus, quæ noſtrum templũ ſacramentorum cauſa frequentant quatuordecim nuncium remiſerunt huic mundo, & vel Capuccinas, vt vocant, vel alia religioſa inſtituta complexæ ſunt.

Con-

## Congregationes. Auxilia parata proximis.

Brerana Congregatio ſecunda celebri pompa, atque apparatu migrauit in amplum, nouumque oratorium. Aronæ ad cæteras acceſſit alia ex indigenis adoleſcentibus. Genuæ in triremibus, inſtitutum ſodalitium eſt, quod legem ſuſcepit confitendi ſingulis menſibus, curandi, vt qui in ſuo ligno animam efflant, ſuſcipiant ante mortem Eccleſiæ ſacramenta, demortui vero ſuffragia miſſæ, ac funeris. in que pecuniolam ipſi corradunt ex neceſſarijs vitæ ſuæ alimentis. Inde legati duo ſunt ad montanos ligures Chriſtianis officijs imbuendos. nouem in pagis inſtitutæ ſcholæ, in quibus euangelica rudimenta tradantur. vtque ſit fructus diuturnior creati miniſtri, & quaſi magiſtratus operis. Illud Nonotomi, ad legem diuinam promulgandam excogitatum eſt vtiliter. Publico edicto ſancitum eſt, Vt omnes Curiones feſtis diebus Chriſtianæ doctrinæ ludum aperiant. Nemo ad Sacramenta, neque ad matrimonium admittatur, quin e concepta quadam formula profiteatur, memoriterque recitet capita fidei ſaluti neceſſaria. Eandemque formulam inter feſti ſacri ſolemnia. Parochus audiente populo clara voce pronun-

 ciet.

Digitized by Google

ciet. ſtipem emendicauimus, qua in publico carcere erectum ſacellum, & ara ad faciendam rem diuinam, ſacramque Euchariſtiam adminiſtrandam iis, qui neci adiudicati ſunt. In Taurinis paratum domicilium, portus naufraganti pudori virginum.

## Inſignis virtutis exempla.

MVlti leuati peccatis, & ære alieno, quo grauabant conſcientiam. Fecit Mediolani Sacerdos è noſtris, vt quidam aureos reſtitueret quingentos. Multi ad virtutem impulſi, vt vnum, aut alterum afferam eorum profectus indicium. Iuueni opulento, & eleganti oblata eſt ad flagitioſam voluptatem virgo egena, ſed elegantior. Ingentibus machinis oppugnatur animus, ſed ratio ita fortiter defendit arcem, vt puellam intactam, deductorem obiurgatum dimiſerit, ſtatimque cum noſtro ſacerdote egerit de illius integritate ab his periculis eripienda. Videtur, & ſuus honos fœminis: in ſimili caſu ſimilis fuit fœminæ cuiuſdam virtus; niſi tamen idcirco ſuperior, quoniam ſexu erat inferior: doloſe ab infida comite in ſuburbanam villam recreationis cauſa deducitur: poſt multa deſeritur ſola in cubiculo, in quo erat impurus adoleſcens abſconditus. proſilit is ab inſidiis, fores primum occupat, & claudit. at illa cum

ſe videt vndique muro circumuallatum, & imminere ſicariorum occiſionem: gratiæ Deo plenæ, eſt, inquit, operæ pretium vt corpus etiam diſcrimine proprio ſe tueatur a labe, & animum a culpa præripiat. ſe proripit à ſceleſtis manibus, & ſaltu per feneſtram deijcit. Dominus dux eius fuit, nulla ex parte læſa æſtuans cuiuſdam cæleſtis ſolatij magnitudine: extemplo ſuum confeſſarium adit: obſecratque pro ſe gratias agat Deo, cuius ope incolumis eſſet a tam certa cade animi, deinde corporis.

## Aedificiorum, & rei familiaris incrementa.

Aronæ excitatum in templo noſtro ſacellum pereleganſ Deiparæ Virginis. Domi vero cubicula aliquot percommoda, iis qui vacaturi ſunt meditationibus Societatis. Vercellis in ſuburbano Collegij erectum nobis ædificium, quod a tectis ruſticanis eſſet ſeiunctum. Genua e veteri D. Ambroſii migratum eſt in partem noui templi quod dedicatum eſt nomini IESV Die D. Laurentij, qui patronus vrbis eſt. Archiepiſcopus Centumuiris præſentibus, Duce, ſenatu, maxima nobilium, & plebis frequentia fecit ibi primum ſacrum. peracta res eſt eo apparatu, pompa, lætitia, quæ con-

conueniebat, vt ita loquar, tantæ ſponſę nuptijs. Sacro veſtiario S. Fidelis argentum, atque veſtes acceſſerunt aureorum ſeptingentorum. Vincentius Purnarius nobilis ciuis Genuenſis tantam habebat opinionem de virtute Societatis, vt nulla incideret ægritudo animi, aut corporis, nullum negotium difficilius aggrederetur, quin vel coram, vel per nuncium commendari ſe poſceret noſtris ſacrificijs, & orationibus; nullam tamen habebat nobiſcum conſuetudinem: & confeſſario alterius ordinis vtebatur. incidit in morbum, quem, vt ſenſit eſſe poſtremum, quaſi nos reſeruaſſet in tempus illud, nulli ad ſe fecit aditum ſalutandi, aut viſitandi gratia, non conſanguineis, nõ ſorori; vnum acceſſiuit, & perpetuo adhibuit Rectorem Collegij. vnum illum voluit in morbo conſolatorem, in morte adiutorem. Deceſſit cum maxima ſignificatione pietatis. Triennio ante cum nobis erat prope omnino incognitus, ſecretum teſtamentum condiderat; reſignatum eſt magna affinium & amicorum expectatione. inuenerunt ab eo Collegium Societatis heredem dictum, atq; ſua manu præſcriptum his verbis. *Admodum Reuerendi Patres ad maximam gloriam Dei, vos ego heredes meos inſtituo, hanc vnam ob cauſam, quod militatis ſub ſalutari nomine* IESV; *vos, obſecro, illum deprecamini vt mihi miſero ſit* IESVS. *ac pro mea anima ad Deum*

opti-

optimum maximum, nec non ad Deiparam Virginem patronam peccantium eas preces fundite, quas veſtra vobis caritas præſcribet. quæ vobis relinquo pauca ſunt, affectus ingens, & cætera. Dignus plurimè cui e ſuis ſpiritualibus opibus rependat aliquid quicumq; præſentes litteras perlegeret. ne ſpes eum ſallat, quam de Societatis caritate conceperat: ſed magnum ſentiat ſe feciſſe emolumentum, dum nobis nihil ſingulare præſcribit; nihil certum a nobis exigit, reque tota fidei Societatis permiſſa nullis conditionibus cum ea tranſigit.

# PROVINCIA VENETA.

## Domicilia, Capita, Aduentus R. P. Generalis, & aliorum virorum Principum.

Stationibus duodecim Prouincia Veneta ſocios omnino trecentos cõtinuit, quinquaginta Patauij, vnum ſupra quadraginta Brixiæ, quinque & triginta Venetijs, Triginta Nouellariæ, Quinque & viginti Bo-

ti Bo-

ti Bononiæ, Tres & viginti Ferrariæ, Vndeuiginti Veronæ, Octonideni Parmæ, atque Mantuæ, Sexdecim Placentiæ, tredecim in Foroliuij, Decem Mutinæ, Duo denique in Creta. Soluti humanæ militiæ vinculis octo; dederũt nomina quatuordecim. Potuit aliquandiu hæc Prouincia noua felicitate numerare inter ſuos Noſtrum Reuerendum P. Generalem, qui à ſummo Pontifice miſſus in Ciſalpinam Galliã ad pacem inter Parmenſem Principem & Ducem Mantuæ componendam, mirum in modum ſola præſentia exhilarauit Collegia, Bononienſe, Mantuanum, Nouellarienſe, Parmenſe. Prohibeor perſequi pluribus, quantũ calcar noſtris ad perfectionem addiderit, quantũ externis admirationis reliquerit, pijs ſermonibus, raris manſuetudinis, pietatis, humilitatis, & cæterarum virtutum exemplis, quibus dubium omnino reliquit, vtrum honores, quos illi ſummos hi principes adhibuerunt perſonæ potius, an virtuti tribuerint. Præ hoc reticemus Cardinales Illuſtriſſimos Cananum, Sfondratum, & Borromæum; Sereniſſimos Principes Bauari ducis filios, qui familiariſsime inuiſerunt ea noſtra loca, quæ in eorum iter inciderunt.



Digitized by Google

## Gymnaſia.

Primæ explicare cœpimus caſus conſcientiæ magno concurſu; non minore Parochorum, clericorumque vtilitate. Minimæ vero duabus claſsibus Humanitatem, atque Grammaticam primo ingreſſu numerauimus centum diſcipulos. Brixiæ ſcholæ florent, vt cum maxime, ita multi confluunt e vicinis orbibus; vt ſine dubio plures excludantur, quam admittantur: factum eſt vt Præceptor externus, qui tamen, & ipſe e noſtra officina prodijt ludum litterarium aperiat prope Collegium, in quo tenuiores pueri tantiſper erudiantur, & informentur, donec ſint ſcholis noſtris idonei. miras inde capimus vtilitates. eo ſatisfacimus importunis multorum ciuium precibus, qui ſuos filios, quamuis ineptos, recipi tamen a nobis efflagitant; etiam ſæpe recipiendi eſſent magno magiſtri, aliorum diſcipulorum, & gymnaſij totius incommodo; eo quaſi nouo gradu ſubiecto altius extitit totius gymnaſij noſtrarumque litterarum apex; eo denique redduntur quodammodo capaciores vniuerſæ noſtræ claſſes, vt longe plures perficiant, atque perpoliant. Inuentum omnino percommodum, dignumque quod collegia pleraque imitentur.

Do-

## Doctrina Chriſtiana.

*FActa ſemina diſciplinæ Euangelicæ in pagos ſeptuaginta, qui Veronæ adiacent; tanto paganorum ſtudio, vt ante lucem templum cum funalibus peterent. Mantuæ inſtituta Congregatio, vt inter alia ſit quoddam doctrinæ Chriſtianæ quaſi præſidium, atque fundamentum. Brixiæ, quo ſolo eadem, & ſcite coli, & vberiore fructu demeti ſolet, explicata eſt ſex tēplorū exedris. Ad eandū feſtorū dierum pomeridianis horis coguntur noſtri diſcipuli, qui vt eos dies totos virtuti deuouēt, mane a ſuis magiſtris, narrandis religionis exemplis, rebuſque geſtis virorum illuſtrium, grata, & ſpirituali collatione retinentur, & ad pietatem inſtituuntur.*

## Templa.

*MAntuæ nunc primum templum noſtrum in quadrageſima conciones, & reliquo anni tempore ſacras lectiones habuit. Vidit in maiore hebdomada ducem Sereniſſimum, quem præferentem Chriſti patiētis imaginem proſequebatur longus ordo hominum ſupplicantium. Parmæ in ſolēni ieiunio profuit, & placuit publica quædam, ſed breuis meditatio, in qua Sacerdos capita orationis*

ita

Digitized by Google

ita explicando præibat, ita meditabatur cum Auditoribus, vt eos, & doceret orare, etiam ad orandum alliceret. Deinde extremo quaſi colloquio armonico cantu pſalmi alicuius reficiebantur animi, & Pater accepta ſummi ſacramenti pixide, quæ patebat expoſita, benedicebat populo, omneſque fauſta prece, & cum gaudio ſummo dimittebat. Inuſtum neque nouum, neque admirabile, dignum tamen quod referatur, & propter facilem imitationem, & propter nouum concurſum vtilitatemque ſingularem, quam hoc loco peperit. Bononiæ inter multos aliena reddẽtes, dignus eſt, qui commemorentur vnus, qui aureorum duo millia legitimo domino reſtituit.

## Tranſitiones factæ ad fidem, ſacraſque familias.

TRanſierunt ad Chriſtum Ferrariæ fœminæ binæ a Turcis, viri tres a Iudæis, a quibus etiam fœmina vna Mantuæ. Veronæ a ſæculo ad varios ordines octodecim, ad noſtrũ quinque, ad quem etiam alij duo adoleſcentes ex congregationibus Patauinis. Eorum non reticenda eſt in ſocietate colenda conſtantia, cum clauſis ſcholis omnibus, nulla priuata ratione, ſed ſola beneuolentia ducti diuelli a noſtris ædibus minime poſſint. Quidam ſacrile-

crilegus apoſtata addens ſceleri ſcelus, vt iſti hominum generi plurimum accidit, adiecit animum ad nefarias nuptias, rem tranſigit, poſtridie ſibi adiuncturus erat vxorem, cum Deus vltor ſcelerum præuertens thorum, pheretro nuptiales tædas hominis, facibus inferis, atque ſempiternis commutauit. Alius eiuſdem farinæ vir, & ſuæ ipſe familiæ deſertor tam ſeuera certaque vltione Dei perterritus repente deſerit aulam celeberrimi dynaſtæ, in qua aliquot annos vixerat, aduolat Venetias, adit noſtros eorum opera Deo, ſuæque familiæ reconciliatur. diuinoque conſilio fit medicina vni mors alterius.

## Reliquiæ, & alia quædam Societati tradita.

PRouocat nos beneficijs Deus Optimus Maximus, vt in eius amore progrediamur. Res familiaris Veneta creuit aureis mille ducentis. Veronenſis mille trecentis. Brixienſis mille quingentis. Ferrariæ binæ domus emptæ ad anguſtias collegij noſtri Laxandas. Eaſdem Parmæ ita admirati ſunt quidam dum magna cupiditate collegium noſtrum inuiſerent, vt exædificationem promouere ſtatuerint, a nobis multo ante conceptam. Iam aureos plus mille in eum finem ſepoſitos habemus,

*mus, quorum quadringentos donauit Dux Ranuſius Farneſius, qui paternæ virtutis hęres, ita nos colit, vt in eo viuere credamus Alexandrum. Porro Mutinenſes non ſtabiliti minus annuo reditu trecentorum aureorum, & ſitu accomodatiore noſtris vſibus, quàm robore ſacrorum oſſium, quo templum, & firmatum eſt, & exornatum. Ea fuere bina capita alterum vndecim millium virginum, alterum ex cohorte Sancti Gereonis, duæ item tibiæ militum Thebæorum, quæ omnia cum Pontificis, & Archiepiſcopi litteris Coloniâ nobis dono ſunt allata.*

# PROVINCIAE FRANCIA, ET AQVITANIA.

*TEMPORVM calamitas, ac bellici tumultus, quibus afflicta eſt hoc anno vniuerſa Gallia fecerunt vt itinera infeſta eſſent ſuſpicionibus, militibus, latronibus, omnia interciperentur. quare & ipſū literarum commercium, aut nullum fuit, aut admodum tenue, atque periculoſum. eam ob cauſam in duabus Prouincijs Francia, & Aquitania, neque mitti, neque colligi de mo*



Digitized by Google

re potuit rerum noſtrarum commentarius. Peruenerunt in vrbem quędam capita, quæ priuatis literis ad ſuos Prouinciales direxerant Rectores quorundã Collegiorũ, quę infra nominabimus. ne & illa intereant. ex iis redacti quaſi in vnam prouinciam, nos mutilem illud quidem, & mancum, ſed vt potuimus vnum quaſi corpus confecimus. Petrocorium & Reſidentia S. Macarij ad Aquitaniam pertinent, reliqua ad Franciam.

Quare habuit hinc annus in Pariſienſi Collegio duos & viginti. adſcripſit in Societatem quinque. habuit in Augenſi octodecim. deceſſere duo. in Muſipontano habuit octo. obiere Sacerdos, & Socius qui ſingularis obedientię, qua precellebat fructum in morte percepit. in ea inſignem coniunctionem cum Deo præ ſe tulit, inſignem ſanctimoniam, illuſtres eę voces, egredere. defixus in crucis oſculo, & magna conſolatione perfuſus clamabat, ſatis eſt domine, ſatis eſt. octo item habet Reſidentia S. Macarij, qui ſcholis duabus Grammaticā docent, eius rudimenta, atque prima elementa literarum. ex his Gaſſö Tornerius inſignibus documentis patientiæ, pietatiſque relictis; cæteri deſtituti omni humano ſolatio; cum propter communem temporum calamitatem, atq; itinera varijs infeſta latrocinijs, neque conſpectu perfrui potuerint ipſius Patris Prouincialis. multos habēt inimicos, obtrectatores,

inuidos,

inuidos, qui ſocietatis fortunis inhiant, & nouis quotidie machinationibus, noſtrarum patientiam vel augent, vel exercent. ex hoc eo maiora experiuntur domi, foriſque diuinæ in ſe benignitatis argumenta. in urbe ſi quidē ſolita miniſteria cum fructu exercuerunt. & varijs itineribus ab hoſtibus, vel non inuenti, vel non cogniti, vel non inimiciſſime tractati. nouit dominus imbecillitatem noſtram. In Petroricenſi vnius obitum suppleuere quatuor.

## Noua Collegia.

Rothomagenſes octo menſibus arctiſſimā obſidionem pertulerunt. cum primum ab ea liberati ſunt virtute Ducis Parmenſis, perfecerunt quod plurimos ante annos de noſtris accerſendis animo deſtinauerat. quare de communi Decurionum plebis, magiſtratuum & duodecim virum vrbis, aliorumque ſententia, deque ſenatu Rothomagenſis grauiſſima auctoritate ſtatutum, vt ad nos literæ mitterentur, quibus Societatem accerſerent, Collegium peterent, & omnia ad illud inſtituendū neceſſaria pollicerentur. P. Prouincialis eorum votis ſatisfaciendum ratus, quod Vrbs frequentiſſima totius Normanniæ caput, ſtudioſiſſima auitæ religionis, fructus polliceretur vberrimos; accerſito iuſto noſtrorum numero auſpicatus eſt Collegium.

D Fun-

Fundationem Collegij Penoçorienſis ſtrenue Ciuitas vrgebat. quoque tempore perfecta videbatur, proxima periculo fuit; cum tota vrbs montuoſa ſit, & aſpero ſitu, nobis in radice collis partem aſſignauerant, in qua fuerat ante Gymnaſium, & inſalubrem eſſe iudicabat natura loci, & nos hoſpitij triennalis experientia didiceramus. quare inter cæteras conditiones neceſſarias, ædium commutatio proponenda fuit. res viſa difficilis propter vrbis anguſtias, & exhauſtum diuturno bello ærarium difficultatem augebant aduerſarij, nobis vehementer nomine fidei, atque religionis infenſi. & ea vſi occaſione negotium euertiſſent, niſi omnium bonorum, & Magiſtratum in primis liberalitas, prudentia, virtus repreſſiſſet impetus iniquorum, & aureis mille ducentis coemiſſet binas quaſi inſulas collegio proximas, quibus, & laxarentur anguſtiæ loci, & ædificium altiore loco, ſalubriore cælo exciteretur. quare decima quinta Kalendas Nouembris, qui dies Sancti Lucæ atque inſtaurationi ſtudiorum ſolemnis eſſe ſolet admiſſum Collegium, & celebrata fundatio carminibus, Dialogis, Orationibus, Præmijs, ſumma gratulatione Magiſtratuum, totiuſque populi; atque diſcipulorum in primis, qui, ſex claſſibus quadringenti fuere. tamque felicibus initijs ita ſimiles conſenſere progreſſus; vt ipſi hæretici noſtram iuuentutis inſti-

mendã rationem admirati, Societatem ſuis in vrbibus optent: modo concionibus abſtineant, hoc eſt eorum fictam impuram, captioſamque religionem non detegant.

## Congregatio, Scholæ, Miſſiones.

PEtrocorij inſtituta Congregatio Deiparæ Virginis, in qua nonnulli eximia præbuerunt pietatis, miſericordiæ, & caſtitatis exempla.

Quidam cum iam tres & viginti annos, vt quotidie recitare coronam B. Virginis, eiuſque diebus feſtis obire ſacramenta ſolitus eſſet, ſemel incuria quadam piam hanc conſuetudinem intermiſit; nocte, quæ diē illũ conſecuta eſt, homini dæmon manus iniecit, & neſcio quo raptabat; cum præſto fuit B. Virgo, quæ eum in diuerſam partem retraxit. benigna, quod inimicum à ſuo cliente repulit; forſitaſſe benignior, quod inimicum in clientem immiſerit, nam eo terrore in eius animo magnæ diligentiæ, conſtantiæ, pietatis cæterarumque virtutum ſemina exereuere.

Frequentant ſcholas Pariſienſes ſeptingenti, viginti. plures Muſſipontanei, & inter eos Enricus Lotaringiæ familiæ princeps. Virodunenſes octo ordinum Nouitij. Cum

certo die lectio habeatur de religioſi hominis officio, magno omnium emolumēto alios multos e cœnobio ad audiendum elicuerunt.

Rogatu Vademontari, Comitis, qui filius eſt Lothoreri ducis ſeptem menſibus Verodunо ſecutus eſt caſtra noſter Sacerdos. illis fuit a Confeſſionibus, quas obire freqūēter ſolet, fuit magno ſolatio, ægris, moribundis, militibus, quos ab iniurijs, rapinis, ab ædium & interdum pagorum incendijs auertit.

A Niuernenſibus quaſi furtim excurſum eſt ad aliquot nobilium familias adiuuandas, cum in tanta rerum perturbatione libere pagos de more peragrare non liceat. Itum in oppida vicina Muſſiponto ſolitis laboribus, & fructu. illud inſigne. Tulli, (id oppido nomen;) confirmare pax inter duos Duces, qui de ſingulari certamine ſerio agebant, nulliſq; principum virorum precibus, nullis minis abduci a ſuſcepto conſilio poterant. Nomeniacum (id quoque oppidi nomen) pulſandi ſalutationem Angelicam vſus introductus,

Excurrerunt bini, Rhemos Campaniæ vrbem principem cum poteſtatem explicandi catechiſmi, a Cardinali Peluæuo peterent; non modo libentiſſime conceſſit, commodiſſimum templum attribuit; ſed vt primæ explicationi ipſe præſens intereſſet, eamque publice probaret commendaretque ciuibus; initium fieri voluit poſt concionem in ſumma vrbis æde.

Adfuit

Adfuit Princeps puer Ghiſianus, qui anteà domi paratus, appoſita, & prompta reſpõſione, munus illud ad ceteros puerorum exemplum mirum in modum ſua dignitate cohoneſtauit. ex his alter Anglus octogenarius cum muneribus Miſsionum ſolitis totam ſibi vrbem deuinxiſſet, periculoſo admodum morbo tentari cæpit. ægrum inuiſunt multi, ſuaque in domicilia, vt migret, efflagitant; ſed honeſtisſima, nobilisſimaq; matrona tantum apud omnes precibus, atque auctoritate valuit, vt in eius palatium ſenem, vel inuitum aſportauerint. quem ipſa quaſi altera Placilla non ſecus habuit atque patrem; totam in eo familiã occupauit, nullis pepercit ſumptibus, nullis laboribus nihil officioſiſsimæ diligentiæ prætermiſit, quoad prorſus depulſus eſt morbus. cumque Pater diſcederet ad eius pedes, abiecta ſupplex veniam petijt ſi quid a ſe vel a ſuis negligentius eſſet admiſſum.

## Erepti ab hæreſi, atq; a Dœmone.

MVſsiponti cũ Eccleſia reconciliati tres. Verduni iuuenis, qui hęreſim cum lacte materno hauſerat.

Petracouij mulier quędã pœne ad amẽtiã peruenerat mærore filiæ, quã mors eripuerat. hac occaſione diabolus varias indutus formas

ſuadet omnibus artibus, vt ei ſe tradat: modo ſe pulcherrimũ oſtendit, filiam ſummas opes, atque diuitias pollicetur, aperit occulta aliorum peccata facta, conſilia ſecretiſſima, modo ſtrepitus horrificos, atque terrores admouet, eam in ſublime ita abripit, vt ſumma vi tecto percuſſo in capite plagam acciperet, ferit colaphis, lapidibus; alios quoque domeſticos; externos, qui plurimi ex vicinia concurrebãt ad ſpectaculum petit lapidibus, quoſdam ſauciat pro ſignis vulnerum aduſtiones, ac moleſtiſſimum nidorem ignis relinquit; omnibus exaudientibus ſtrepitum, cernentibus volatũ lapidum, auctorem vero nullũ vidẽtibus. magna contentione orationum, atque pœnitentię impetrauimus a Deo, vt fœminæ daret ſacramenta ſuſcipiendi facultatem. dedit. iiſque ſuſceptis abactus omnino diabolus.

## Repreſſa impietas in parentes.

Libet & illa ad multorum documentum adſcribere. Filius ibidem dum altercatur cum matre, illam colapho lædit, additque eam imprecationem, Vtinam manifeſte Deus oſtẽdat vter noſtrum culpam; iniuriamne ſuſtineat. nocte manum vtramque ita arcte ſibi ligari atque conſtringi ſenſit, ab eo, quem non videbat, vt paulo poſt abſciſſum iri. videretur. exprimunt clamores dolor, timor, ſed ueũ

ante

ante deſtitum eſt, quam ſuggerente conſciētia, ſupplex veniam petit à matre, & illa tandem miſerata filio condonet. redeunt paulo poſt ad ad ingenium. dumque ſimul altercantur muſſa inuſitatæ magnitudinis lumen extinguit, & iniecto terrore, altercationem dirimit; rixantur iterum, redit muſca eadem longe moleſtior, diu noctuque, domi, extra domum, in via, in vrbe, in agro etiam atque etiam vtrūque diuexat omnibus videntibus, atque contremiſcentibus ad conſpectum tantuli animalis; quod non obſcure Dei vindicem eſſe, aut fortaſſe diabolum intelligebant: donec de noſtrorum conſilio, vere pacificari, & confirmari ſacramentis, ſuas vterq; partes implere pietatis, atque caritatis inſtituit. & abactum eſt aqua luſtrali importunum animal.

Alius magis etiam in matrem viduam impius; eam a ſua coniuge, ab ipſa ancilla, ita perpetuo contemni, contumeliis onerari, atque peſſundari permittebat; vt miſera prope verſa in deſperationem, cohibenda fuerit a noſtris quo minus ſibi mortem inferret. filius ab iiſdem obiurgatus, & propoſitis Dei minis exēpliſque, officij ſui cōmonitus: nihilo melior eſt factus, ſed paulo poſt ad ſūmā delapſus impietatem, magna omnium offenſione eam inſimulatam neglecti pudoris, in capitis iudicium vocat. hic Deus, vt doceret filium impium, in parentem iniquum adoritur febri filiolam, quam

*quam ipſe vnice diligebat; neue caſu factum exiſtimaret, nocte intempeſta qua ſopor arctiſſimus omnes habebat, intimi eius cubiculi fores pulſari cœptæ ſunt tanto fragore, vt tota domus cõtremiſceret. de lecto omnes exiliũt. accenſis facibus. arreptiſque armis ſingula loca curioſe luſtrantur: ſed omnia inuenta, vti fuerant obſerata. clauibus, vectè peſſulis, nullum veſtigium furis, aut hoſtis. domeſticis timor in admirationem conuerſus. ipſe vero Deum timere cœpit, non homines. illudque nutanti conſcientiæ omnem dubitationem exemit, quod paulo poſt filiolæ ad lumen accenſum ridenti, atque alia omnia cogitanti obiectum ſpectrum, quo ita deterrita, atque vexata eſt, vt eam nullæ veſtes, nulli receſſus ſatis abdere poſſe viderentur; cumque nulla vis morbi ſolito maior appareret, illico exceſſit è vita. tum vero pater accepit vexatione intellectum; vix albeſcente die, eum noſtrum ſacerdotem adit a quo fuerat obiurgatus. ſuum fatetur ſcelus, ſeque in matrem commiſſa flagitia beneficijs, obſeruantia, pietate compenſaturum pollicetur.*

## Quorundam beneuolentia, atque liberalitas in Societatem.

C*Ardinalis Peluæus, Epiſcopus, atque Dux Ghiſiæ ſeparatim inuiſerunt Viredu-*

*ledunenſe Collegium. eos honore debito exce-pimus.*

*Quo tempore Cardinalis Placentiæ Summi Pontificis in hoc Franciæ regno Legatus à latere noſtrum Gymnaſium, Collegium, templum inuiſit, apud nos rem ſacram facere, atque ſumere prandium non recuſauit: exceptus eſt quam magnificentiſſimo apparatu ingeniorum, quæ vndequaque ipſa aulæa circum-veſtita collucebant. data Tragicomædia, orationibus habitis, poematis omnium generum, diuerſorum linguarum, partim affixis, partim dictis ſummam ſe percepiſſe voluptatem, & præ ſe tulit, & apertiſſime profeſſus eſt.*

*Pariſiis adoleſcens quidam auditor philoſophiæ, cum de eligendo genere vitę deliberaret, rem cum Carthuſiano monacho ſibi familiariter noto communicat. cui ille. tu ſi quem religioſum ordinem complecti ſtatuis, ne quem, niſi Societatem* IESV *complectere: a qua tot, ac tanti fructus in Eccleſiam proficiſcuntur: ego quidem hoc meo inſtituto valde delector; me tamen haberet Societas, ſi illa ante cognita, vel ſi mihi res nunc eſſet integra.*

*Ciuiles bellorum tumultus, qui Galliam vniuerſam peruaſerunt, petierunt in primis Lutetiam vrbem cæterarum caput. aditus omnes conuehendi commeatus hoſtes intercluſerant. vnus relictus inopia pecuniæ, qua ipſi viciſſim laborabant; quare annona commu-*

*tanda*

*tanda magno pretio. noſtraque res non pecunioſa eo redacta erat, vt inirentur de ſcholis abdicandis conſilia. ſed Deus inopinata ratione prouidit. Socij noſtri frater collegio debebat aureos octingentos. non perſoluebat, excuſari belli incommodis. cum ad murum, vrbemque muniendam exturbanda eſſet magna uis ædificiorum imminentium noſtro pomerio; euertenda fuit pars eius ædium; quæ, de more, extimata prius eſt nongentis aureis. Procurator explicata inopia Collegij petit ab adminiſtratoribus ciuitatis, vt ex ea pecunia perſoluant ſummam ſibi debitam. ingentibus erat res obſtructa difficultatibus, quæ tranſigi non poterat niſi aſſentirentur non tantum Præfecti, atq; curatores vrbanæ rei, ſed Præfecti rationum, præcipui, cuiuſq; ordinis Collegia, Senatus, Conſilium magnum. ſique nobis aſſenſum ſemel eſſet, eadem cauſa perſoluendi fuiſſent alij aurei plures centies millibus. id quod exhauſtum ærarium ferre nequaquam potuiſſet. diu noctuque orandum fuit; atque circumcurſandum. res tandem, annuente Deo, confecta eſt ijs legibus, vti quod tribuebatur noſtris in rempublicam meritis, id ne vocaretur in exemplum; atque aurei centeni; præſenti nobis pecunia numerarentur; deinceps vero in ſingulos menſes quinquageni, donec ad eam ſummam peruentum eſſet; opportunum fuit egeſtati noſtræ ſubſidium &*



Digitized by Google

gratum iudicium ciuitatis. ſique ſtatum illius ac tempora ſpectes, fuit omnino gratiſſimū.

Extitit quoque erga nos Innocent. ix. & opportuna, & prolixa ad eandem egeſtatem leuandam liberalitas; quando motu proprio & commodiſſimum Sacerdotiū à loco noſtro non longe ſeiunctum attribui Collegio Pariſienſi voluit. & quanquam ex eo propter potentiam quorundam, qui illud ambiunt ſperare vix quicquam audeamus; paternus tamen Optimi Pontificis animus ſempiterna nos animi grati memoria obligauit.

Ibidem, ne Sacerdos noſter ius ſuum obtineret in bonis; quæ ad eum fratris vnici morte peruenerant, prouocauit ad Senatum Pariſienſem; vtque probaret eum cenſendum eſſe tacite profeſſum, cum annos aliquot vixiſſet in Societate, profert diploma illud ampliſſimum anni 1584. quo Gregorius xiij. Pont. Opt. Max. humaniſſimus parens Societatis; nihil proferre poterat noſtris, noſtræque cauſæ magis optandum. nam Senatus [illegible]o cupide perlecto planè edoctus eſt de illa diſtinctione religioſorum, & de tota inſtituti noſtri ratione; quam ante incognitum, vehementer probauit; cognouitq; quam falſa eſſent, quæ ſuperioribus annis contra nos vulgus diſſeminauerat; quique ſedebant iudices ſecundum nos ſententiam ſingillatim in ea cauſa dixerunt.

PRO-

# PROVINCIA LVGDVNENSIS.

## Numerus, & pericula Sociorum.

*IN nouem Lugdunenſis Prouinciæ ſedibus laborarunt e noſtris ducenti quadraginta octo. in Lugdunenſi Collegio duo de quinquaginta. In Dolano vnus & quadraginta, in Turnonenſi duo ſupra triginta. in Auernionenſi duo ſupra viginti. in domo Probationis ſex & viginti: in Billomenſi vnus & viginti. in Didionenſi, & Amicienſi viceni. in Camberienſi octodecim. Totidem admiſſi in Societatem. Tres Dolæ. E ſodalibus B. Virginis Auenionenſis quatuor, e quibus vnum à propoſito reuocare non potuerunt, neque parentum verbera, neque oblatæ diuitiæ. Alter à domeſticis inimicis verbera expertus vincula & carceres, à fuga bis arrepta retractus tertio tandem ſeminudus Auenionem peruenit.*

*Obijt vnus P. Ioannes Fornerius Rector Camberiacenſis. cùm peteret Lugdunum de* ponte

ponte quodam in profluentem excutitur ab equo. hunc aquis obrutum, equus ipſe ſimili caſu delapſus mole ſua pene obterit. extractus è flumine, & expiatus a Sacerdote Italo, quem præcipuo quodam numine Dei ſibi ſociũ adiunxiſſe videbatur. in parua, & nuda caſa de vita deceſſit.

Vnus e noſtris in Prædones incidit ſitientiſſimos Ieſuitici ſanguinis. iacturam fecit veſtilum, atque pecuniæ. cæterum incolumis, quoniam ab ipſis habitus eſt pro parocho. Duo item capti & ſpoliati à latronibus, abducti in intimam ſyluam in ſaltu deſerto, atque tenebricoſo ad arborem alligati ſunt vinctis poſt tergum manibus: eo loco viui futuri erant ferarum eſca, ſed dominus eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum diſrupit,

## In Proximos,

TVrnoni rediere ad Catholicã fidem hæretici ſeptem & triginta. in his Apoſtatæ duo, qui Sacerdotes erant: cum transfugerunt ad hæreticos, ab ijs ſtatim ſunt nefarijs ligati nuptijs, & præfecti muneri prædicantium. reſipuerunt ſuaſu noſtrorum. mulierculis illis relictis, habitu ſimulato, venerunt ad nos, eamque inſtituerunt vitæ rationem; vt ſint omnibus exemplo, alioſque prædicantes mirũ



Digitized by Google

in modum ad veritatem alliciant. Dolæ quoque ab hæreſi extracti viri tres, fœminæ totidem Auenione.

Delphinates hoc anno propter bellorum incommoda preſſi magna rerum penuria turmatim per familias, ac prope per villulas ſeminudi fame, & morbis afflicti ad Lugdunenſe ſuburbium trans Rhodanum confluebant: cumque aditu vrbis arcerentur a cuſtodibus, longo agmine totum pontem iacentes occupabant, vbi plurimi miſerando ſane ſpectaculo præ inopia exhalabant animam. noſtri ſtatim aduolarunt, remque conſpectam oculis; ita publicis, priuatiſque ſermonibus inculcarunt ciuibus, vt ad eos viri, atque matronæ plurimæ, pecuniam, panem, copioſumqꝫ commeatum ſumma alacritate, atque caritate contulerint, ipſos quindecim dies. Dumque alij corpus alebant; nos non deſtitimus reficere animos. elementis, fidei, concione, confeſſione, Euchariſtia. quæ Chriſtiani hominis officia in Paſchate prætermiſerant: donec Magiſtratus tantam conuenarum multitudinem, cum iam milleni numerarentur, his tumultuoſis temporibus ab vrbe longius amouendam ratus, eos dimiſit donatos a ſe larga eleemoſyna, a nobis vero pijs libellis, quos hoc anno ſumma liberalitate piorum impreſſimus ad centum quadraginta millia, & partim in hac vrbe diſtribuimus, partim aliis Collegiis.

Miſ-

Miſsionibus, Parochis oppidorum diſtribuenda donauimus.

Inter multos, quibus moribundis aſſitimus nominandus eſt Archiepiſcopus Grimaldus qui Auenione & toto ægritudinis tempore vti voluit ſpiritualibus medicamentis Societatis, et cum ſe morti proximũ animaduertet, iusſit aduocari noſtros, vt vltimũ ſpiritum in eorum manibus exhalaret. Fuit vir erga noſtrum ordinem plane beneuolus, ac liberalis.

Eripienda fuit a poteſtate Diaboli fœmina, quæ ſe illi deuouerat, ſi ingreſſa amplius eſſet in tectum filij, a quo irata receſſerat. Execrationis oblita ſtatim redijt. ſtatim Dęmon mulierem indutus, eam arripuit, in ſummam tẽpli pinnã adduxit, & dediſset ex eo loco præcipitem, niſi illa ad ſe reuerſa, tremendo nomine hoſtem à ſe aliquantulum remouiſſet, eodẽque telo circum curſantem, quaſi canem, iam iamque ſe immittentem tam diu arcuiſſet, donec allatum eſt præſidium, & ab homine ſocietatis reconciliata Deo.

Anicij bini poſseſſores iniquæ fidei quingentos aureos reddidere veris dominis. tãtundem Billomi, noſtris enitentibus. Camberiaci pene euerſa mala conſuetudo in monaſteria fœminarum contra fas ingrediendi.

Miſsiones factæ a Dolanis Veſuliũ, Dalnam Veſuntium. Lugduno excurſum in vici-

nos

nos pagos, Turuntium, quod oppidum eſt in Burgundia. Albenaci ſentiebant nobiles vnam eſſe viam dignitatis, vel recuperandæ, vel tuendæ ſingulare certamen. magna contentione, atque prudentia noſtri Sacerdotis effectum eſt, vt intelligerent alium eſſe longe meliorem, atque iuſtiorem principum virorũ iudicium. Ex quo ſancita ab iiſdem lex eſt, vt ſtetur inpoſterum ſententiæ Gubernatoris, quod ille pro ſua prudentia, peritia, atque nobilitate ſtatuerit, id habeatur quam honeſtiſſimum.

## Scholarum, & rei familiaris incrementa.

Dolanum Collegium hoc anno perfectum eſt omnibus quaſi numeris, cum ad cæteros profeſſores adiuncti ſint tertius philoſophus, alter Scholaſticus explicator ſacrarum literarum, & Hebraicæ linguæ magiſter. Tenrunt Diuinionenſe Gymnaſium diſcipuli quingenti. Lugdunenſe ſeptingenti magnopere ciuitatẽ excitauere, quoties ad ſupplicationes, quæ pro ſtatu Regni, frequenter indici ſolent, proceſſerunt candidati, nudis pedibus, ſeque verberantes in cilicina veſte plurimi. Auenione nobilis hæreticus, cum filio apud nos educato perſuadere non poſſet, vt carnes, diebus

vetitis

vetitis ederet, verſus in iram cum diſtricto gladio furibundus inuadit. adoleſcens vero ita prompte iugulum venienti præbuit; vt patet in alium animi ſenſum conuerſus, intellexerit ac prædicauerit apud Ieſuitas maiorem illum hauſiſſe conſtantiam, quam vt ab homine expugnari poſſet.

Ab hinc tribus annis Lugduni inſtitutum Theologicum noſtrorum ſeminarium; viſum eſt ciuibus valde auctum iri ſplendorem ciuitatis, ſi philoſophicus curſus accederet. res diu agitata per conſilium; ſtatuta tandem eſt adnitentibus iis, qui Prætorio regio præſunt, quorum primates in noſtra diſciplina ſunt educati. polliciti ciues aureos annuos in eum finem Collegio ſeptingentos.

Magnum in nos amorē præfert Archiepiſcopus Lugdunenſis. magnum dux Momorancius. hic antequam proficiſceretur in Delphinatum in noſtro templo vna cum fratre Eucbariſtiam, in cænatione, ſumma humanitate prandium ſumere nobiſcum voluit. quibus etiam reditus aureorum ducentorum ex Prætura Foreſana eſt elargitus. Coempta domus eſt finitima Collegio conuictorũ, ad quam tranſitus è noſtris anguſtijs facta breui ambulatione patebit.

Dolanis legauit ciuis libras annuas quadringentas. ex his centũ bibliothecæ, totidem ſacro veſtiario. reliquum aſſignauit vſibus

excurſionum. Donata templo argentea candelabra, & pixis ad ſuſcipiendum Chriſti corpus magni pretij, atque artis.

Præterita detrimenta Billonienſium compenſauit benignitas piorum hominum, præſertim Claromontani Epiſcopi, eiuſque fratris, à quibus ſupra duo aureorum millia donata sũt Collegio. A nobis inſtaurata villa, quæ incenſa fuerat facibus impiorũ. Ex ædificato Xyſto, ad quartum Collegij latus; effectum, vt quaternis ambulationibus, quadratum ædificium vndequaque peruia eſſe poſſit.

Cum intelligeret Magiſtratus Didionenſis nos rerum preſſos inopia cogitare de imminuendo numero Doctorum, duplicauit aureos ducentos, quos annuos Collegio tribuebat, & ſtatuit alia nonnulla, quibus ære alieno liberabimur. Epiſcopus vrbis elargitus eſt Amicienſibus ſuam bibliothecam, & aureos quingentos ad vicinas ædes coemendas.

PRO-

# PROVINCIA POLONIÆ.

SVmus in Polonia ſocij tre-
centi quinquaginta duo.
In Collegio Lublinenſi ſe-
ptem & quinquaginta. In
Vilnenſi quinquaginta ſex,
in Brusbergenſi quatuor et
triginta. totidem in Rigen-
ſi cui adnexum eſt alterum Tyrocinium. In Poſnanienſi triginta. In Iaroslauienſi vno minus. In domo probationis Sancti Stephani duodetriginta. In Collegio Caliſſienſi ſex & viginti. in Pultouienſi nouendecim. In domo S. Barbaræ octodecim. In Collegio Neſuizienſi ſexdecim. In Polocenſi quindecim. In Derpatenſi quatuordecim. In miſſione penes Regem quinque. In Reſidentia Leopolienſi totidem. In Tranſiluaniam miſſi duo. Vita functi ſex. In Societatem admiſſi vnus & quadraginta. Brunę quatuor, Iaroslauiæ & Caliſſæ bini. Rigæ nouitius dum vacabat meditationibus Societatis monitus eſt vt oraret pro ſocio, qui poſita manu ad aratrum reſpiciebat retro. Fecit ille ita vehementer, vt concitaret in ſe iram Dæmonis, qui tota nocte hominem vexauit

acerrime, & aperte expoſtulans, eius ſe precibus impediri, agere voluit de feneſtra præcipitem.

## Auxilia collata in proximos.

Peſtis multis locis exercuit noſtrorum veram in Deum ſpem, charitatem in proximos: vbique ſumma ſedulitate conſultum decumbentibus, infectis, moribundis in priuatis ægrorum tectis, in publicis hoſpitijs, in ipſis compitis, in cæmeterijs. Maxime Iaroslauiæ vbi nouē menſibus vrbem depopulata lues à gymnaſio diſcipulos externos, à Collegio noſtros expulit: Tum Cracouiæ quibus locis Sociorum nullus morbo affectus eſt. Lublini tres magnum à Deo conſecuti beneficium, vt animam ſuam ponerent pro amicis ſuis.

Poſnaniæ optauimus diu, diuque laborauimus, vt ſodalitatem aliquam erigeremus, cuius argento, atque opera pauperes infirmi curarentur, ſubleuarentur medicis, medicamentis, atque cibo. hoc tandem anno per noſtros magna cum laude Societatis inſtituta feliciter eſt, Domino benedicente operi: iam enim collata pecunia eſt florenorum ſexcentorum, teſtamentis legata quadringētorum; impetratur Regis aſſenſus ad emendos in eius bonis reditus florenorum mille ducētorum, & quod optimum eſt, totius negocij promouendi curam

ſuſce-

ſuſcepit Magiſtratus ipſe Poſnanienſis.

Cracouię adductus eſt Pagi Dominus, vt pœnam ſanciret in eos, qui diebus feſtis rem ſacram, concionemue negligerent, quiue pocu lenta in publicis Hoſpicijs vltra primam noctis horam propinarent. ex altero magnæ conſequutæ vtilitates, ex altero magna materia deleta peccatorum.

Nobilis aulicus multis annis rationem ſalutis ſuæ neglexerat, atque obdurata conſcientia omnes, quas admouimus, ſuaſionum, aut verbi diuini machinas peruicaci animo repulit. ſed dum debilem inimicum non reformidat, expugnatus eſt colloquijs, atque ſimplicitate noſtri coadiutoris: quare deletis ſuperioris vitæ maculis nouam inſtituit, & laudandarum actionũ exemplo tacite ſe toti aulæ ducem præſtat ad bonitatem. Ab eodem euictus iuuenis cuſtos ouium, qui nunquam adduci potuerat, vt vellet addiſcere vel orationem dominicam; quique ita noſtros horrebat, vt cum eorum aduentum intellexit, ſe ad volaturum in ſyluas diceret deuorandum potius à feris, quam tractandum ab ipſis. eum ſocius Patris humili charitate ita molliuit, ita deliniuit pijs colloquiis, vt paulo poſt vniuerſum legis noſtræ compendium, & multa præterea apprime diſceret, ac perbene poſſideret. ex quo ſacramentis, & melioris vitæ propoſito communitus doctor in chriſtiana doctrina ma-



Digitized by Google

gna multorum æmulatione, atque admiratione factus eſt. Dorpati duobus in templis conciones quatuor à nobis habentur Ectonicè, Polonicè, Germanicè.

Prælatus religioſus monaſterio prępoſitus à triginta milliaribus Caliſſam venit, vt noſtris conſiliis modum reformandi monaſterij, & ab exercitatione noſtrarum meditationum ſpiritum eius negocij perficiendi conciperet. voluiſſet nos ipſos adiutores: hoc tamen impetrare non potuit.

Vir illuſtris nocturno ſpectro perterritus, ſuſceptione ſacramentorum liberatus eſt, & accenſus ad tantum Dei amorem, vt receperit ſe in dictione ſua reſtituturum Parochiam, ac templum, quod hæretici ante annos triginta profanarunt. Idem accidit in fœmina, quę mirum in modum agitabatur vmbris poſcentibus miſſas, eleemoſynas, preces, iubētibus reſtitutiones pecuniæ certis hominibus. ſuaſimus vt illa perficeret; perfecit atque ſedata eſt. fuerat enim vxor inſignis cuiuſdam prædonis, cui nos in extremo ſupplicio paulo ante adfueramus. Braſbergæ notum erat nomen indulgentiarum, vis ita vel incognita, vel neglecta, vt propter eas neque ſe loco mouerent homines, ita in concione egimus, tanto eas apparatu promulgauimus, vt neque locus multitudini, neque aures ſatisfacere poſſent, confluentibus; nam è viginti, à quinquaginta milli-

libus

*tibus paſſuum confluebant. Vilnæ reuocatæ ad officium pudoris viginti mulieres Commemoranda, quæ corpus, cum libidine ſe nimis efferret, ita ſeuere verberauit vrticis; vt eius cogitationes in alia omnia deflexerit.*

## Qui è Synagoga hebræa cognouerunt Eccleſiam.

*REuocauit ad ſe Deus Optimus Maximus per Societatis operam liquata eorum duritie, iudæos aliquot. Caliſſæ tres. Princeps fuit quidam inſignis diuitÿs, atque ſcientia, cum egregiè calleret hebræa, atque apprime verſatus eſſet in doctrina Talmudis, & Rabinorum. Deo tollente velamen inſpicere cepit, quam luteis fundamentis hebræa expectatio niteretur, quam ſolidiora eſſent; quæ de aduentu Meſsiæ à ſacerdote noſtro proponerentur. ſex totos menſes, quos ad deliberandum ſumpſerat, conſumpſit in attentiſſima meditatione illius veritatis, eam diligentiſſime ad hebræorum ſcripta atque doctrinam examinauit; vt neque ab ÿs, neque à ſenioribus, & legis peritis, quos ſedulo conſuluit, nihil contra eam afferri vidit, niſi perfidiam, odium, tenebras; clam vxore hebræa, & ſuis omnibus, venit ad Collegium; confeſſus dare ſe manus veritati, cuius ſplendorem amplius negare non*

 *poſſet,*

poſſet, imbutus catechiſmo diebus quindecim, ablutus fonte ſacro, magna gratulatione totius ciuitatis, magno mærore iudæorum, cum ſua memoria neutri ſcirent, vllum vnquam à ſynagoga ad eccleſiam in ea vrbe tranſiuiſſe. Hunc deinde imitati duo, quorũ alter ab ipſo Archiepiſcopo baptizatus eſt.

Vilnæ quoque Iudææ aliquot fœminę agnouère Chriſtum, quarum conuerſio eo nobis videtur admirabilior, quo occultiorem quãdam eius cauſam ſuſpicamur. Non procul ab vrbe loco remoto, & auio ſub ferias Chriſti Domini exiſtentis ab inferis; a ſcholaſtico noſtro repertum eſt cadauer pueri nouẽ annorum, (Simonem parentes vocabant) minutis vulneribus arte quadam conciſum ad ſanguinem ex omnibus venis eliciendum; ita recens à cæde, vt etiam calere, & penes ſpirare videretur. haud dubie criminis ſuſpicio pertinebat ad Iudæos, genus hominum in huiuſmodi inmanitate verſari ſolitum, quique ipſi pecunia perfecerunt, vt res in quęſtionem non adducerentur. effugerunt iudicium hominum, ſed pœnas, quas minime voluiſſent; diuinę iuſtitiæ dependerunt. Deus enim vnius Chriſtiani pueri iacturam reſarciri voluit quinque puellis hebræis, quas opera Societatis aggregauit ad Eccleſiam. duæ fuerunt inſignes. Altera cæſo puero ætate paulo ſuperior propter egregiam indolem animi, & morum elegantiam

erat

erat in delitijs, tum parentibus, quibus primarijs, atque opulentis orta erat, tum conſanguineis prope vniuerſis. ędes incolebat, ex quibus patebat aditus in Domum adiunctam christianæ matronæ, quæ virginibus erudiendis, & informandis Gynæceum inſtituerat. ex quo hebræa inter has totum ferme tēpus tranſigebat, parentibus, propter loci opportunitatem, atque ætatis ſimilitudinem, non modo non abnuentibus, ſed etiam probantibus. vt fere conſuetudine familiaritatis ſequitur ſimilitudo ſtudiorum, quæ prima elementa fidei per piam magiſtram tradebantur ceteris, hebræa quoque percupide hauſit; coluit casto pectore, dante Spiritu Sancto incrementum, denique ita confirmauit; vt non dubitauerit prodere ſe parentibus cruce, flexione genuum, precationibus, alijſque ſignis, & quod maius eſt, voluntate chriſtianam. non admodum permoti. quod illius ætatulæ deſideria nullam in partem magnum opinarentur habere momentum. ſæpe tamen concitata mater alienis illis cæremonijs, quas vſurpare ſe inſpectante non verebatur, omnem ſtomacum in eam ita vehementer effudit; vt verberibus pugnis, calcibus, male multatam dimitteret: ſed his difficultatibus diuinum ſemen oblimari ſolet, atque grandeſcere, quare puella iam flagrans deſiderio ſuſcipiendi chriſtiana ſacra, ſuum conſilium ſenili prudentia cum fidelibus matronis,

tronis, & per eas cum Societate communicati: res tota à nobis conſtituitur. ſabbatho quo familiam ſynagoga tenebat, puella ſe domo abripit, & ad chriſtianas ędes, in quas fuerat conſtitutum, perfugit. re cognita parentes omnia implent clamoribus. ſubodorati quo ſe illa recepiſſet, obteſtantur fidem magiſtratuũ, & ſibi requirendæ filiæ fieri poteſtatem efflagitant. fit poteſtas, non inueniunt, mature ſiquidem noſtri ſtudioſi effracto tecto eam in proximam domum coniecerant, & ementito habitu luce palam eductam in loco tutiore collocarunt. non ceſſant hebræi. ſuſcipit ſynagoga negocium, & illud vrget communi cōſilio, ſtudijſque communibus. circumcurſant agmina Iudæorum, non pecunijs parcitur, non muneribus. & quod iniquiſſimum eſt oppugnatio feliciter ex ea parte ſuccedit, à qua nos eſſe maxime tutos oportuerat. adeunt primates eccleſiaſticos, obſecrant, vt pro eorum imperio ſibi detur virginem domum reducendi poteſtas. vel onerati querelis, vel circumuenti ſuaſionibus, quod teneræ ætati diffiderent, & rem longioris putarent eſſe conſilij, non obſcure aſſentiebãtur. ſuis tamen ſtudijs in hebræos id vnum effecerunt, vt in puella diuina vocatio, virtutis, iudiciique maturitas, de qua ambigi fortaſſe propter ętatem poterat, probatiora, atque teſtatiora eſſent. vt admirationẽ ipſis aduerſariis excitarent. ſeuocauerunt

puellam

puellam in ædes quaſdam ij, qui animum vel flectendum, vel tentandum ſuſceperant. Præſul quidam primarius ſciſcitabatur ab ea, cur fieri chriſtiano vellet: quoniam, inquit, intelligo ſolos chriſtianos peruenturos in cœlum; atqui, ait, Præſul è chriſtianis quoq; per multos depreſſum iri ſcias ad inferos. non ignoro, reſpondit; ſi quidem illi ſe onerauerint ſceleribus. ad hæc ille, ſi ſcelera deprimunt, quid ni viuas inter iudæos vitam ſine crimine? valde vereor, reſpondit, vt apud eos id poſſim; ſed quanquam poſſim, mihi tamen certo ſcio nihilominus clauſum fore aditum ad ſuperos. quærit quam ob cauſam, reſpondit, quia cæli atrium eſt eccleſia. vbi eam hic ita peritam conſpicit, ad aliam theſem dilabitur; miſella, inquit, non ſatis percepiſſe videris te apud tuos fore ſemper in honore, & copia rerum; chriſtianam fore neglectui, atque contemptui, laturam famem, ſitim, & rerum omnium inopiam. ad quæ illa, libēter deſpiciar in tenebris; vt exalter in luce, hoc eſt in conſpectu Dei; malo ferre famem breuis tēporis, quàm æternam; malo ferre ſitim, quàm ignes. patieris veto vel in vita, ſubdit ille; mihi enim certum eſt parentibus te dedere, qui præſtolantur præ foribus, quique te quandiu vixeris maceraturi ſunt inopia, contumelijs, verberibus. parentum nomen vehementer perculit tenerum puellæ pectus, quare erumpente flumine la-

crymarum, accidit ad eius pedes: eoſque amplexata, non vexationes, inquit, perhorreſco, ſed periculum. patere, domine tentari me, non obrui. eo denique ſenſu, eo ardore ſpiritus deprecata eſt diſcrimẽ illud; vt omnes, quotquot aderant, flecterentur in miſericordiam, in admirationem, & ipſe Præſul admirabũdus exclamauerit, digitus Dei eſt hic, ſeque baptiſmo nullum obijcem poſiturum promiſerit. quare cum nullus alius auderet ſuſcipere eius baptizãdæ prouinciam; Epiſcopus Sarmogitię, qui per eos dies Vilnæ degebat, id egregie pręſtitit. plurimi mortalium confluxere ad ſpectaculum. in ipſo ſacri fontis myſterio tantam oſtendit in ſubeundo pietatem; tantam in reſpondendo alacritatem, in pronunciandis fidei elementis induſtriam, vt celebraretur omniũ plauſu, atque ſermonibus, quotquot aderant, ipſi hæretici vix temperarent à lacrymis, atque diſcederent perfuſi animum diuina quadã dulcedine, quæ etiam in ipſos è diuinis illis nuptiis redundare videbatur. iam vero puella collocata in Nieſuitienſi Cęnobio virginum omnibus prælucet ad virtutem.

Altera hebræa puella biennio maior ſimilem experta pugnam, ſimilemque conſequuta victoriam, nam ablegata in Lituaniam clam à noſtro diſcipulo reducta Vilnam eſt, & ſola vno Deo patrocinante producta ad conſpectũ patris, atque matris eiulantium in frequenti

mul-

multitudine Iudæorum, ante magiſtratũ ipſorum patronũ, ita cauſam ſuam egit; vt profligatis omnibus aduerſariis illuſtriorem victoriam reportauerit. Pultouiæ Iudęus item vnus ad ouile rediit. Nieſuiziÿ catechiſmo reditus inſtruebatur alteri, qui ſe profitebatur catechumenum, prope omnia parata ad baptiſmum fuerant, cum magno mærore noſtrorum ſuam prodidit inconſtantiam; ſed commodum ad noſtram leuandam mæſtitiam, epiſcopatum eius accepit alter, qui ſponte nullo expectante, ita ſe cupidum, atque ingenioſum præſtitit; vt celerrime eruditus omnino baptizari alterius loco potuerit.

## Diſputationes cum hæreticis.

LVblinenſium opera in retundenda hæreticorum audacia inſigniter enituit. plures cum iis diſputationes interceſſerunt. duæ fuere perilluſtres. de quarum vtraque breuiter aliqua perſtringemus. Leuartouia oppidum eſt Firlianæ familiæ quarto à Lublino lapide ſitum, quamquam maxima ex parte catholici ſunt, tria tamen inter ſe diuerſiſſima hæreticorum genera continet, Caluiniſtarum, Lutheranorum, quos omnes artifices germani ſequuntur: & Anabaptiſtarum, qui hoc maxime habent ſectæ ſuæ ſeminarium: cum litteris præſit anabaptiſta errore Ebionis infe-

ctus,

ctus, & eo nobilitas hæretica mittere iuuentutem ſuam ſtudiorum cauſa ſoleat. oppidum hoc donec certa pecuniæ ſumma perſoluatur ab hæredibus, oppignoratum eſt Nicolao Firleo Palatino Cracouienſi homini perilluſtri tum ſenatoria dignitate, tum ſtudio religionis catholicæ promouendæ. is Leuartouiam cùm veniſſet, è noſtris vnum Lublino petijt, qui ſibi pro feſtis natalitijs à ſacris, & à concionibus eſſet. vbi Ieſuitam adeſſe fama percrebuit; oppidani, & ruſtici ex vicinis circumquaque pagis, quippe qui annis viginti catholicum ſacerdotem Romano more in oppido ſacris operantem non viderant, turmatim conuenire, concionibus intereſſe, ſacramenta percipere, ea ſingula grauiſſimis pœnis hæretici domini edicto propoſito probibuerant; non deerant homines ab ipſis, atque à miniſtris diſpoſiti in itineribus, partim vt res explorarent, partim vt homines à concione catholica auerterēt ad hæreticum, qui rumpebatur ira; cum interim in ſua ſynagoga neque decem haberet capita. ſed nihil effecerunt, nam ardore diuinitus concepto perrumpebant per medios apparitores, contempto periculo, contemptis dominis, in quorum ſe manus reuerſuros eſſe ſciebant, ſtatim atque Palatinus recepta pecunia oppido cederet; quare cum tantam multitudinē locus nō caperet, licet ampliſſimus, aſcendebatur ad feneſtras, occupabatur quic-

quid

quid altius eminebat, vt inde Ieſuitam concionantem, & ſacra peragentem vel audirent, vel viderent. fauit celebritas temporis, & Palatini exemplum, qui cum vxore, liberis, atque familia vniuerſa publicè ſacramenta ſubibant; quare vix numerus iniri potuit eorum, qui confeſſione præmiſſa Chriſti corpore ſunt refecti, quique reconciliati eccleſiæ, quã leuiſſimis cauſis etiam ad gratiam ineundam à Dominis, reliquerant. Facile eſt cõijcere quo animo hoc ferrent hæretici. debacchari, furere, noſtros, noſtramque doctrinam proſcindere, quando aliter non poterant, concionibus, ſermonibus. omnes pro viribus: præcipue tamen Miniſter in ſuggeſtu, Rector apud ſcholaſticos.

Hac arrepta occaſione, Pater, qui vehementer cupiebat cum ijs congredi, vt oſtenderet, ſe vera docuiſſe, probante Palatino, ex templo theſes duas ad certam diem proponit, alteram pro Ebionita rectore de æternitate filij Dei, alteram pro ſacramentario miniſtro de corpore Chriſti vere præſenti in Euchariſtiæ ſacramento. næ miſeros vehementius perculit hæc inopinata prouocatio, qua ſe ipſos prope nominatim peti videbant, mallent, etiam ſi direptum eſſet a Ieſuitis oppidum, tacuiſſe; tentant omnes vias vitandi congreſſum. illam eſſe decernunt expeditiſſimam, dicere ſe non eſſe paratos ad tam ſubitam diſputationem. ſed non



Digitized by Google

ſuccedit. prorogatur tempus. quare coacti ſu-ſcipere certamen, dimittunt per totam Poloniam certos homines cum litteris, doctiſſimũ, atque potentiſſimum quenque nominatim, tanquam ad commune incendium extiguendũ euocant, alteri Ebionitas, alteri ſacramentarios, vt ad decimum tertium Ianuarij praſto ſint Leuartouiæ pugnaturi pro aris & Focis, euangelio ſuo laboranti opem extremam allaturi. conueniunt quam plurimi. inter alios Fauſtus Soncinas exul Senenſis Ebionitarum anteſignanus, & ſcriptis pro ea hæreſi voluminibus inſignis. vbi ea dies aduenit, conuenitur ad Templum, quod ab hinc viginti amplius annis occupauerant hæretici, atque refertiſſimum erat infinitis prope mortalibus pugnæ exitum expectantibus pro catholicis aderant Palatinus, & alij viri nobiles. pro hæreticis plurimi, cum præſertim prope ſola regio Lublinenſis illorum partes ſequatur. Pater editum locum aſcendit, in quo videri, atque exaudiri poſſet ab omnibus. nullus hereticorum id auſus, quod timerent, ac periculoſum eſſe videretur ſolum dimicare ſeiũctum ab alijs, ſine adiutore, ſine comite: tutius viſũ eſt argumentantem ſedere cum alijs conglobatis qui deficienti opem ferrent, atque ſuggererent. primus certamen init Rector Ebionita. ex ipſo ore apparebat cum in arenam deſceniſſe non ſua voluntate, ſed coactum, vel no-

mine

mine rectoris, vel profeſſionis litterarum. nõ ſatis munitus duobus ſelectis militibus, qui ſuppetias laturi cingebant latera, accedebat demiſſo capite, pallidus, exanimis, vt conſtitutus inter duos illos miniſtros duci videretur ad laqueum. diffidebat miſer cauſæ, ſuis viribus, & aſſuetus priuatæ ſcholę ferre non poterat ſummam multitudinis, nobilitatisque lucem, quare in tanta imbecillitate telum nullum contorſit, quod perueniret ad aduerſariũ, quod non recideret in ſuum caput, & ab eo ipſe vulnus acciperet. omnino pudere Ebionitas, ſui diſputatoris. muſſitare, annuere homini, vt ſe pugna ſubduceret, & alicui doctiori locũ daret. rectori nihil erat antiquius, obſtabat Patris volũtas, qui id fieri poſſe negabat niſi Rector contra ſuas theſes nihil afferre potuiſſe publice fateretur. dura conditio videbatur, ſed non iniqua: cumque vrgerent ſui, & ipſe pugnæ pertęſus eſſet, omnibus admiratione defixis edidit confesſionem illam ignominioſam ſibi, atque vniuerſis Ebionitis. hic noſter omnibus attentisſimis de loco illo ſuperiore dixit ea, quæ ad rem facere videbantur, & exemplo Rectoris, qui à puero verſatus in litteris, apud eos eruditus in primis, tamen ita turpiter hallucinatus erat, hæreticos beneuole docuit, ſi conſpici oculis eorum religio poſſet, viſum iri monſtrum horrendum genitum, & ortum ex ea licentia, quam ſutoribus

 bus

bus, Lanarijs, cerdonibus, ruſticis, fœminis in fide formanda, & euoluenda ſcriptura concedunt. Subſequutus eſt Miniſter Leuartonienſis Caluiniſta per omnia rectori ſimilis, quin etiam propter eius exẽplum multo timidior; quare voce ſemimortua recitauit vnum, aut alterum Caluini argumentum contra Eucharistiam, quæ cum Pater ita dilucide, atque vere reſoluiſſet vt ipſi quoque ſectarij reſpõſiones plauſu probarent, ne verbum quidem contradicere auſus eſt, locumque ceſſit pari ignominia, confesſione turpiore; nam publicè ipſi Caluiniſtæ, quando tam turpiter, inquiunt, victus eſt miniſter; Superintendenti (qui apud ipſos eſt quaſi Epiſcopus) aliquid de ea quæſtione domine Ieſuita in medium proponere liceat. aſſenſus Pater eſt. ludicrum argumentum attalit, quo faciliime reiecto ſuffuſus pudore conticuit. cum vero ſe collegiſſet aliquãtulum, ſubiunxit, cuique in ſua fide manendũ eſſe, atque Deo reuelanti credendum. exceptus eſt riſu talis vox, & ab omnibus conclamatũ; Deum mendacia nemini reuelare, qualia ſunt, vel Ebionitarum, vel Sacramentariorum, qui doctrinam ſuam neque probare, neque defendere poſſent. diſceſſum è templo ſumma omnium catholicorum gratulatione. ſtatimque nobiliſſimus adoleſcens in hæreſi educatus, & natus ab hæreticis parentibus, Patrem adijt, & ſe in catholica caſtra recepit.

Hinc Leuartouiæ. non diſſimilem exitum alia diſputatio habuit quã ÿdem Anabaptiſtæ, ne ſe omnino profligatos oſtenderent, & aliqua ratione vulneris accepti famam eleuarent audacia, ſtatim nobis indixerunt: ſed Lublini, & poſt quartum menſem: vt conuocare omnino ſynagogam vniuerſam, argumentatores quam peritiſſimos eligere, eos non modo munire, verum etiam exercere poſſent ad pugnam, & quam longiſſime ab hominum memoria præiudicium præteritæ diſputationis amouerent. per commode accidit, vt eodem prorſus tempore quo Lublini diſputandũ erat Leuarionienſis concertatio typis mãdata prodiret in lucem, & ſpargeretur in maxima frequentia nobilitatis, in celeberrimo iudiciorũ tribunalium conuentu. libentiſſime lectitata non minus ab ÿs, qui interfuerant, quam ab alÿs, qui fama perceperant. quo ſcripto cum viderent hæretici ſuam exiſtimationem vehementer obteri, & excitari expectationẽ perſimilis euentus, ſunt ita deterriti, vt de congreſſu quam honeſtiſſimè vel declinando, vel differendo diligenter egerint; ſed omnis cunctatio longe turpior, inſtante die, ipſis prouocatoribus, theſibus per noſtros affixis ad valuas templorum, aliaque celeberrima loca ciuitatis. quare vigeſimo ſecundo maij in noſtro templo expectatione perſimili, cõcurſu etiam maiore concertatum. vterque locum ſuperio-

rem aſcendit. noſter initio præfationem adhibuit, quæ lacrymas per multis extorſit, omniū animos ſibi beneuolos, Ebionitis ita infenſos reddidit, vt argumētator illa præfatione vim ſibi quæreretur inferri. is erat miniſter quidā nomine Staterius, nam Soncinas excuſans Polonicæ linguæ imperitiam, eo ſe adduci nō paſſus eſt. expectabatur quo nam tandem telo eſſent vſuri iſti gigantes contra cælum. ecce tibi Miniſter timide, frigide, hæſitanter proponit loca aliquot Scripturæ, ita decantata, atq; trita; vt ruſtici per ſępe ſolutionem innuerēt; tum alia nonnulla, quibus vel de humanitate Chriſti ſermo eſt, vel de Diuinitate, quibus hęretici peruerſe declaratis venena ſibi conficiunt. Pater mira dexteritate eo ipſo interprete ſingula verba ſingillatim; ita exponenda demonſtrauit; vt miſer eorum ſenſu palam atque aperte iugularetur. exceptus perſæpe riſu, perſæpe ſibilis, obrutus denique clamoribus, vt non ſe diſputationi ſed ludibrio expoſitum videret: magno documento omnium, qui palam ex ea diſputatione Ebionitas atheos eſſe concludebant: magna voluptate non modo catholicorum, ſed etiam Caluiniſtarum, qui ne propter Lowartouienſem diſputationem cum iis conſentire viderentur, hic publice profeſſi ſunt, ſe infenſiſſimos eſſe Ebionitarum hoſtes, quos habeant blaſphemos, hypocritas, atheos, vtque id clarius eſſet, cum Staterius

alte-

aliquam theſim de Eucharistia vellet attingere; ſurrexit è media corona Caluiniſta vir ætate, nobilitate, atque grauitate præcipuus, omnium nomine, quaſi meditata oratione, primũ inuectus in Anabaptiſtas, in eorum nefariam doctrinam & ſcelera: tum permittere noluit, vt pro Euangelicis eam propoſitionem oppugnaret homo ſtupidus, infamis, ſuo & ſuæ ſectæ nomine; & illius nota diſputationis, qui cum ſuam confirmare non potuerit, alienã vel inertia deſerturus, vel perfidia ſit proditurus aduerſarijs, qui vel cedendo, vel vincendo parem prope turpitudine ſua ſit illi theſi maculam allaturus. cumque finito certamine pro tam certa victoria decantandum eſſet, Te Deum laudamus. petierunt Caluiniſtæ, vt ſuo quoque nomine hæc gratulatio Deo Optimo Maximo fieret. Tot telis iugulati miſeri Anabaptiſtæ prodire non audent. ex his miniſter quidam acri vir ingenio, & magnæ apud eos exiſtimationis à diſputatione ſtatim ad Collegium ipſis prope ſpectantibus acceſſit: eorumque perfidiam deteſtatus, amplexus eſt veritatem. Quare multis locis, vel nomen Societatis modum feciſſe videtur debacchantis ſtultitiæ miniſtrorum.

Brunæ bini Coadiutores negotij cauſa miſſi ad hæreticum oppidum humaniter à Conſulibus excepti ſunt. vix eos adeſſe auditum eſt, cum ſe miniſtri omnes abdiderunt ab amicis

nominè ſæpius, vel nolebant eſſe domi, vel humile habebant, vel diſtinebãtur alijs impedimentis: ſoloque nomine Ieſuitarum deterriti, non ſatis crediderunt eos illiteratos ſimplices eſſe; in conſpectum venire, ſe dare in periculum voluerunt, ciuibus alijs ridentibus, alijs frementibus.

Rigæ quidam Princeps inter miniſtros ſub initium huius anni publicis concionibus patria lingua dictis atque editis, non dubitauit per ſummum ſcelus appellato S. Marcum Euangeliſtam miſerum, egenum, claudicãtem vtroque pede, æquiparare Marcolpho, ac omnino indubitationem vocare, vtrum is vnquã in rerum natura fuerit. qui dies abrogare auſi ſunt ſacros B. Virgini, cæteriſque cælitibus, neque à Chriſto domino abſtinuerunt; in gratiam cuiuſdam Zephirini Caluiniſtæ, qui hoc anno prope Craconiam mortuus eſt, nouum feſtum effinxere; illudque celebrarunt campanis, organis, cantionibus, concionibus, omni apparatu, atque imitatione catholicorum. at vero vbi pro ſuggeſtu explicata à nobis harũ actionum vel temeritas, vel iniquitas priuatis, publiciſque ſermonibus exagitata; Miniſtri vix verbum effutire audent; circumſpiciunt antequam loquantur: cœperunt Rigenſes paulatim oculos attollere, & agnoſcere quam turpiter à Pſeudoprophetis iſtis ludificentur, erubeſcere ſe ipſos, non ita horrere no-

ſtram

Digitized by Google

ſtram ædem. ex quo cum prius vix tertium, aut quartum auditorem haberemus, nunc in ea ſexaginta numeramus, & gratias Deo agimus quod centum in Natali cæleſti pane refecimus.

## Hæretici, & Schiſmatici. qui redierunt ad catholicos.

Rigæ hæreſim depoſuere viginti; Lublini totidem; Caliſſiæ duæ integræ familię alia nobilis, alia plebeia; tum viri ſeptemdecim, quorum aliqui educati in hæreſi ſacramenta numquam ſubierant. Nieſuiſii quinquaginta. Derpati tredecim. Vilnæ quinquaginta: Brunæ viginti. Pultouiæ vir, qui ſeptem peruagatus hereſes, cum apud Anabaptiſtas concionatorem ageret, tandem amplexus eſt fidem catholicam teſtis expertus, & oculatus extra illam nihil eſſe, in quo animus conquieſcat. Hieroſlauię quinque: Poſnaniæ centum, & viginti. Cracouiæ triginta: ex his virgines duæ in Arrianiſmo natæ à parente miniſtro Arrianorum profugerunt ad Catholicos, & à noſtris fidei ſummam edoctæ in Templo ſolemni ritu baptizatæ ſunt ipſa Regina eas è ſacro fonte ſuſcipiente. Vilnæ à Græcis redierunt ad Eccleſiam Romanam quadraginta, Polocij decem à Ruthenis. Iaroſlauiæ viginti. Hic

referendus adoleſcens, qui Lublini exagitatus conſcientia ſcelerum hæreticus eſſe decreuerat, tum adijt Miniſtrum ea de re acturus factus eſt repente mutus, nec verbum exprimere potuit. ſentit diuinum numen, atque præſenti pœna deterritus mutat propoſitum. res mira, ſtatim loqui iterum incipit, ſed quæ eſt hominum peruerſitas, diebus aliquot elapſis periculum obliuiſcitur, prioraque conſilia renouat; vix decreuit, cum præſto eſt iterum paterna Dei vltio quam prima ſeuerior: nam loquendi facultatem ſecundo ereptam nulla mutatione ſententiæ nullis lacrymis, nullis precibus reſtituit, poſt trigeſimum diem cum nuſquam appareret morbi cauſa, nullaque medicamenta ſuccederent, vt fere ſolent homines, tum demum parentes remedia diuina depoſcunt: eum adducunt ad Sacerdotem: ille quaſi volente Deo in omnium conſpectu ſuadet adoleſcenti, ſi forte ſibi ſit alicuius peccati cōſcius ingemiſcat in corde, primamque vocem voueat ſe illius deteſtationi daturum: paret adoleſcens, ſtatimque vox redit, & palam hæreſes execratus eſt.

## Scholæ.

Hic vt maxime Optimi Dei beneficio liquidiſſimè conſtat quam congruenter ſcholas ad animorum ſalutem direxerit noſter B. P. Igna-

B. P. Ignatius, & quã certo, quamquam copioſè ijs finem ſuum conſequatur Societas. nam præter eam pietatem, quam nunc inſeri videmus pectoribus auditorum, cuiuſque ſemine ſperamus datura fructus vberiores; cum pueri ad pleniorem ætatem, & ad ſuos domeſticos regendos peruenerint, per eos in præſentia ita multas familias deuincire Societati, hoc eſt virtuti, atque Deo poſſumus; quot in ijs pueros, vel adoleſcentes, quot denique capita eru dimus. Poſnaniæ aucto numero ſunt ſex centi quinquaginta plerique nobiles. Caliſſæ ducenti triginta. qui eo virtutis exemplo vniuerſæ ciuitati prælucent, vt ſint omnibus admirationi, multis religioſis excitamento, multoſque grandæuos etiam ſacerdotes ad ſe imitandos allexerint, quibus videbatur egregiũ ſpectaculũ, cernere ſub Paſcha honeſtos adoleſcentes in Templo acerbe in ſeipſos ſeuire flagellis, modeſte, atque conſtanter perpetuare ad ſepulcrum Domini meditationes, diebus feſtis eoſdem inſpicere in xenodochijs, vel in uicis circunfuſos ægris, afflictis, egenis, vt eos leuent eleemoſynis, conſolentur verbis, inſtruant ad patientiam, erudiant ad ſalutem; cibos porrigant, mundent ſordes, ipſos pedes abluant. Addit hæc virtus emolumentum litteris, & decorem; dederunt comœdiam Theodoſium Imperatorem ita piè, atque concinne, vt paſſim dicerentur omnia ſpiraſſe ſanctiſ-

mo-

monium, locum, actionum, actores, argumentum, auctorem in primis, qui fuiſſe dicitur P. Edmundus Campianus Martyr Angliæ, Brunſberga inſtitutæ lectiones caſuum, & controverſiarum, iiſque philoſophicus curſus adiunctus eſt, cuius dies quaſi natalitius menſe Septembri celebratus magna frequentia nobiliũ, atque Præſulum, magno apparatu Emblematum, carminum, ingeniorum, quæ in Collegij veſtibulo collocata ſunt; quaſi muſæ manſuetiores ſeverioribus diſciplinis obviam honoris cauſa progrederentur.

## Beneficia Societati exhibita.

Filiæ fundatoris Iaroſlavienſis adhuc virgines orbæ parentibus è ſuo theſauro, qui fuit quondam Duciſſæ Maſoviæ, addixere noſtro Templo cãdelabra argentea, caſſulas cum pluviali precioſas, & mappas altaris inſigniter elaboratas auro. Nieſuizienſi Collegio donavit quidam centum aureos; fundator duo millia florenorum adiunxit ad perficiendam Templi fabricam. Magnificus Polonus capitaneum agẽs in Livonia ex Pruſſia Mari Deipatum afferri curavit altare affabre factum, & illud in quodam Sacello templi noſtri collocavit. Cracoviæ pius Abbas Collegio attribuit centum florenos annuos daturus quandiu vixerit, totidem perſuaſit, ut frater ſuus

attri-

attribueret, totidē Posnaniæ Præpoſitus quidam noſtris ſtudioſus ſe numeraturum ſpopondit. Brunæ legauit quidam aureos centum quinquaginta. Significauit Rex ſuam beneuolentiam erga Societatem; nam vt nos quodāmodo faceret nuptialium conuiuiorum participes toto nuptiarum tempore domum vniuerſam aluit, eamque cum Regina, atque Archiduciſſa eius Matre ab octauo die poſt nuptias humaniſſime frequentauit. Die Circumciſionis Præſul Premiſlienſis maximam noſtri Templi Iaroslauienſis aram ſolemni ritu cōſecrauit; non dedignatus fratris filium trādere nobis educandum, apud nos ſumere prandium; nec defatigatus in noſtro templo conferre ſacramentum confirmationis vſq; ad veſperā.

Hic libet diſtinctius, atque certius exponēre Diuinam Prouidentiam, quam ſingularem in Societatem Rigæ conſpeximus. poſt quam inde ſuperioribus annis ſumus eiecti, aduerſarij Societatis nihil non moliti ſunt pecunia, gratia, viribus, vt noſtrum reditum vel impedirent, vel differrent. ad ſpem noſtram debilitandam, omnino ſtatuerant æquare ſolo hoc S. Mariæ Magdalenæ monaſterium, atque Templum ſtatim vt Sancti Moniales, quæ illud incolebant exceſſiſſent è vita. duæ erant decrepitæ ætatis, centeſimum annum altera attingebat, altera exceſſerat. vtque non eſſet obſcurum eſſe diuino miraculo in tanta ætatis,

atque

atque virium imbecillitate ſeruatas incolumes, quaſi perſoluto munere cuſtodiendi loci, vix illud nobis addictum eſt decreto regio, cũ vtraq; exceſſit è vita. recepta erat nobis abſentibus nouitia quędam. hæc quaſi relicta eſſet à Monialibus, vt locum traderet Societati; octauo die, poſt quam noſtri venerũt, obijt. Senatus magnam oſtendit in nos humanitatem, ac beneuolentiam. refici liberaliter curauit omnia, quę templo noſtro prius erepta fuerant, calicem in primis cum patena argenteũ deauratũ, per grãdem, omnino maiorem alio, qui hinc ablatus fuerat. cauit noſtræ quieti quantum potuit: ante hac propter hominum petulantiam ne ſacrum quidem vnum ſine cachinnis, clamoribus, aut iaculatione lapidũ, alijsue moleſtijs celebrari potuit. quin ſuperioribus annis ob inductum nouum calendarium ciuitate pulſi ſumus, ſeditione coorta in natalitijs Domini feſtis: porro hoc anno, cum etiam teneat ſuum calendarium ciuitas, eam diem ſumma pace, ac tranquillitate celebrauimus multis Rigentium pie, atque modeſtè præſentibus. quamquam Dei beneficio nõ omnis materia patientiæ deleta eſt. ſunt paſſim, qui noſtros per plateas clamoribus, irriſionibus, conuicijs, luto petulantiſſimè conſectentur. vni Miniſter in publica platea grauem inflixit alapam, alia maxilla parata percuſſorem compeſcuit, & reperans ſit in animo.

Miſ-

# Miſſiones.

EX omnibus prope Collegijs excurſiones factæ. à Iaroslauienſibus, Calliſſienſibus Poloçenſibus, Nieſuizienſibus. Rigenſis miſſus ad arcem quandam infantes triginta baptizauit, tres adultos reuocauit ad Eccleſiã. Itum à Vilnenſibus in Samogitiã rogatu Epiſcopi. vbi vt laudanda quidem, & magna, ſed vulgaria præteream; tanto ſtudio noſtri audiebantur, tanta frequentia, vt cum templorũ anguſtijs excluderentur ad vitandos tumultus eodem tempore pluribus locis in ipſo cœmeterio verbą facienda fuerint ad circunfuſam multitudinem, magno lucro animorum; cum prius plurimi viuerẽt more ethnicorum, neque Chriſtum ſcirent, neque Deum, ita ab eſſent à cognitione chriſtiano debita, vt baptiſmum, neque recepiſſent multi, neque eſſe recipiendum intelligerent: abluti centum quinquaginta quatuor. tres à græcis, ſexdecim reuocauimus ab hæreticis. In alio oppido. ad ſingula verba Dæmonem appellabant, ſublatum malum, multa impoſita delinquentibus. inſtitutum præterea Noſocomium.

Quod ad Miſſionem Leopolienſem attinet; quamuis ab Archipræſule permiſſum ſit, vt in tota Diœceſi exerceamus miniſteria Societatis; maxime tamen in Metropolitana, ea-

dem-

demque parochiani eccleſia conſtitimus. habitę toto propemodum anno matutino, atquę pomeridiano tempore conciones, magno omnium ordinum concurſu, Catholicorum, hæreticorum, quibus permixti plurimi Armeni, atque Rutheni. ſed non minore eorundem vtilitate; domi, foriſque diſputationibus priuatis, atque publicis docti, atque dedocti. perſuaſa veritas Ruthenis nouendecim, hæreticis octo, & ſexaginta; inter hos Palatinus, qui nunc omnia Ruſſiæ templa, aut deſerta, aut profanata feruenter inſtaurat. reſtitutiones procuratę florenorum decem millium. inductus pulſus meridianus, & aliæ multæ catholicæ conſuetudines, ſublatæ iniquiores libentiſſimis omnibus; cum ſint mira in nos pietate, atque beneuolentia, & propter innatum candorem animi tantam de nobis habent exiſtimationem, vt noſtris ducibus ſibi neque errare, neque non cœlum conſequi poſſe videantur.



Digitized by Google

# PROVINCIA BELGICA.

## Sociorum numerus, ingreſſus, interitus.

*MIsſionibus Gandenſi, & Inſulenſi redactis in Collegia, Domicilia ſocietatis creuere ad tredecim, ſocij ad trecētos ſeptuaginta ſeptem. Tornaci duo de ſexaginta. Duaci vnus è quadraginta. Leodij quinque & triginta. Tres minus Audomaropoli. duo de triginta Louanij. totidem Antuerpiæ. Traiecti. & Valencenis octoni deni. Burgis, & Iſpris vno minus, Cortaci ſexdecim, Gandaui quindecim. Inſulis tredecim. In ſede Bruxellenſi, cui misſio caſtrenſis adnectitur vnde triginta. in Montenſi domo ſeptem. Duo miſſi in Holandiam, Præter hos numerandus P. Prouincialis cum ſocijs duobus altero ſacerdote, altero Coadiutore. Adlecti vnus & triginta. ex his duos dedit Antuerpia, Brunellæ quinque, Sodalitas Duacenſis quindecim. Mortui ſex. Inter hos, & inter illos numerandus Balduinus Cuuillonius P. Cuuillonij theo-*

theologi, qui obijt in Societate, fratris filius, vnicus heres parentum diuitum, atque nobilium, qui multos ante annos deceſſerant, pene ab infantia ſemina oſtendit inſignis cuiuſdam pietatis, quæ cum ipſo creuit. annos natus nouem audita ſanctorum aliquot Patrum vita, eam perſuaſit condiſcipulo paris ætatis: quo comite contendit in collem extra ciuitatem, quaſi in ſolitudinem, vt ibi Eremitam ageret. poſtridie inuentus à ſuis magno dolore domum reductus eſt. Habitabat cum eccleſiaſtico viro. apud eum forte anno ſequenti Pater è ſocietate, qui conciones Chriſto naſcenti, atque reſurgenti præuias habebat ad populum nouitio comite hoſpitatus eſt. Balduinus horum vita, conſuetudine, moribus obſeruatis ſocietatem optare cœpit: quærit à noſtris admiſſionem. non impetrat. contendit à tutoribus, vt nos ſaltem in veſtibus imitari liceat, non perſuadet. nihilominus animi, atque propoſiti tenax poſt triennium in ſcholis triuialibus exactum, Duacum venit, vt negotiũ ſuum perficiat. dum differtur, mirum in modum, & magnis in vtroque progreſſionibus, coniungit cũ ſtudijs litterarum ſtudia pietatis. multa ſane in vtroque genere de ipſo dici poſſent, quæ erant in adoleſcente illius ætatis admiranda. erat inſignis pudicitiá virginali, eamque, vt voto ſancire liceret ſæpe, & inſtanter petiit à patre, quem animi ductorẽ habebat. in ſignis

contemptu

Digitized by Google

contemptu mundi, & zelo animarum. pro viribus omnia exequebatur opera miſericordię. obibat xenodochia, ægros verbis ſolabatur, & eleemoſynis. Sodales ſuos ſpiritualibus colloquijs, exemplo, honeſta quadam vi impellebat ad pietatem, pauperes ſtudioſos, maxime qui ſe deuouerant ſocietati, liberali ſtipe, & veſtibus interdū ſibi detractis adiuuabat, ſentiebat enim, & quemadmodum ſuis libris, & aduerſarijs; ita cordi inſcripſerat ſententiam illam, quam frequentisſimè vſurpabat, Veh vobis diuitibus, quia difficile eſt poſt delitias ſequi delitias: id circo eas, & vehementer oderat, & quaſi inimicas, profuſe effundere cæpit in pauperes. ex quo opportune, importune flexis genibus, vberrimis lacrymis obſecranti, vt in Societatem reciperetur, & aſſerenti, niſi ingrediatur eo anno, ſe nunquā ingreſsurum, reſpondit P. Prouincialis nobis aliquo modo conſulendum Societatis honori, dari amicis querimonias, aduerſarijs obtrectandi materiam, ſi adoleſcentem admittamus inuitis conſanguineis, & videamur eius non quæſiuiſſe ſalutem, ſed fortunas. longum eſſet explicare quibus artibus, laboribus, prælijs à ſorore, atq; à tutoribus profectus Inſulas ingrediendi poteſtatem extorſerit, quo gaudio victoriæ nuncium Duacum reportauerit, & iter ad Tyrocinium arripuerit. Vrbē egreſſus pecuniam quancunq; habebat dedit vni ex no

G ſtris,

ſtris, & accipere voluit ab eo viaticum non, tanquam proprium, ſed tanquam datum ex obedientia, quare paulo poſt occurrenti ſodali, rogantique, vt in ſui memoriam pictam tabulam Sodalitati omnium Sanctorum relinqueret, vt ante propoſuerat. veniſſes inquit, citius? modo ſum factus pauper in Societate IESV. nec habeo amplius aliquid proprium. in domo probationis cum primum propoſitæ ſunt veſtes Societatis, vt eas indueret, mira mentis ſuauitate perfuſus, ſaluete, inquit, auguſta eorum paludamenta, qui de mundo triũphauerunt. ex quorum conſpectu longe plus haurio voluptatis, quam vmquã ex aliarum veſtium pompa deguſtauerim. genibus flexis imagines omnes, iconicas bullas, ipſas B. Virginis preces horarias, atque roſarium, cætera denique inſtrumenta pietatis aliud accepturus detulit ad magiſtrum nouitiorum, vt nihil, inquit, vlla ratione dicere meum posſim. vt nihil quamuis diuinum habeam, niſi à manibus obedientiæ, hoc eſt Dei. ita repente profeſſus eſt virtutes omnes, coniunctionem cum Deo, cuſtodiam legum, modeſtiã, reuerentiam, humilitatem, ſtudium mortificationis, charitatis; vt toto eo tempore eas non acquirere, ſed acquiſitas, & perfectas oſtendere videretur, tanti aculei, tantus ardor in verbis plenis grato animo, pietate, feruore, vt quaſi Angelus miſſus è Cælo alios ad perfectionem cogeret

geret

geret potius, quàm inuitaret. quare cum conſumatus in breui expleuiſſet tempora multa maturus Cœlo, cuius flagrabat deſiderio in febrim incidit. ſeptem diebus oſtendit quantũ ſua virtus in infirmitate perficeretur, atque illuſtrioribus eius documentis relictis obdormiuit in Domino.

## Auxilia proximorum.

Louanij, cum hoſtis prope eſſet ad mœnia, vrbs ſine vllo præſidio, confugiebant plurimi ad tutiora oppida. conſtitere noſtri freti Deo, quodque intelligerent omnium oculos ita eſſe coniectos in Collegium, vt in noſtro diſceſſu maximus futurus eſſet metus diſſoluendæ ciuitatis. quare inter arma continuatę lectiones, exemplo, atque ſtationibus in noſtras vices obitis, adiuti ciues, nouumque ciuitati cõſcriptum præſidium, ſodalitas militaris Sanctiſſimæ Eucharistiæ. iam numerat trecẽtos. iurant publicè fidem catholicam, ſeque illi ſacramento militari obligant, dum ſpondent ſe perpetuo pro auita religione pugnaturos. hoc eorum inſtitutum æquè pium, generoſum, per honorificum, illæ vero diebus feſtis exercitationes: mane tractant res diuinas. poſt meridiem gladios. & vero primus dies, quo fulgentes armis, & precioſis veſtibus inſignes ordine proceſſerunt ad ædem ſummam, fuit popu-

 lo gra-

lo gratus, & ſupra fidem admirabilis. cum ſacrum tectum multitudinem non caperet erigendum fuit altare ſub odæo à D. Cancellario, qui idem ſummæ Aedis Decanus, & Vicarius Archiepiſcopi Melchinienſis, ſacrum peractum, habita concio, benedicta ſigna militaria, atque arma ſumma populi probatione, & plauſu.

Burgis cum fructu luſtratę ſcholę pauperum, & conciones diebus feriatis habitæ quinque locis. Antuerpiæ viri quatuor, reſtituerunt partam iniuſtè pecuniam, quæ ſummam excedit trium millium. Dęmon ſpectris varijs Leodij vexabat adoleſcentem: matronam etiam extractam è lecto Burgis raptabat per cubiculum. ab hac ſacramẽto confirmationis, ab illo confeſſionis expulſus.

Vbique multis plectendis capitali ſupplicio noſter labor, atque ſedulitas ſalutem peperit, dum illo extremo tempore patientiam perſuaſit, aut fidei veritatem. Ipris hæreticus prædo alias præfractus, victus eſt charitate Patris procidẽtis ad genua, & cum lacrymis propriam ab eo ſalutẽ implorantis, propriãq; illi animam commendantis. miſer qui inter ſuos huius diuinæ virtutis, neque adumbratã ſpeciem vmquam viderat, motus nouo ſpectaculo, ceſſit, magnumque præmium cedendo retulit, gremium Eccleſiæ, ſpem cœli. Talia exẽpla fecerunt, vt Senatus Burgenſis hoc pri-

mum

Digitized by Google

num anno vocare nos ceperit ad ſupplicia ciuium.

Cortaci illud fuit inſigne. modica ſcintilla litis magnum inimicitiarum incendium excitauerat inter duo capitula. illi extinguendo boni omnes diligentiſſime clam, palam, publice, priuatim inſudauerant irritis conatibus. hi antiquitatem, & opes, illi iura patronatus allegabant, & his vtrinque nixi propugnaculis nihil cadere, nihil remittere de iure ſuo volebant. flamma interim ſumebat ex ipſo decurſu temporis incrementum. fecit Deus, vt intelligerent noſtros neutræ parti fauere, fauere tantum veritati, atque paci; quare Gandauo Conſiliarium cum actoribus vtriuſque partis accerſunt, qui Patribus Societatis velut arbitris controuerſiam diſceptent, atque dirimant. cœtus triduum ad ædes noſtras cogitur: expenduntur rationum in vtramque partem inclinantium momenta. adſunt noſtri, aquam inÿciunt flammis irarum, quæ erumpebant interdum ita vehementer, vt oculis etiam ardentibus lacrymas non ſemel extorſerint. denique maxima ciuium gratulatione, & noſtrorum ſtudiorum commendatione depoſita ſunt vtrinque odia, conſtituta pax; & reuocata charitas.



Digitized by Google

## Erepti à ſæculo, aut ab hæreſi.

*Tornaci ab Aegypto in religionem traductæ ſex virgines Vallenchenæ capita ſex, Bruxellis duodecim, Duaci plures quindecim. Antuerpiæ abiurarunt hereſim triginta, Tornaci quinque, Gandaui filia cuiuſdam Epiſcopi Mæmmoniſtarum, Bruxellis duodecim. inter hos adoleſcens enutritus in Holando cælo, & hæreſi. conſeruabat exiguas quaſdam catholicæ fidei ſcintillas, quas ab Auo pene infans hauſerat. eæ excreuerunt intantum fidei telum, vt clam parentibus, huc ex Holandia fugerit, quo pleniorem cognitionem eccleſiæ, & eius ſacramenta perciperet. nouit Dominus qui ſunt eius.*

## Explicatio Catechiſmi.

*Antuerpiæ ſeptimum iam annum catechiſmum paruulorum ſummis, infimiſque precibus, ſed irrito conatu apud vtrumq; magiſtratum vrgebamus. nunc tandem conceſſus eſt, & locis octonis inſtitutus, magno concurſu, maiore voluptate omnium. Bruxellis omnino iucundum eſt audire pueros, qui cũ plenè fari non poſſint, illius vniuerſa capita ſumma felicitate recitando balbutiunt. Gandaui tribus locis mille pueris explicatur in*

diebus

diebus feſtis, at vero duobus profeſtis in hebdomada traditur variarum ſcholarum diſcipulis, quos certo loco præceptores ipſi congregant. Cortaci mirum in modum promotus; nam procurantibus noſtris, ſancitum eſt è Senatus conſulto, vt iuuentus vniuerſa ab anno octauo, ad ſextum decimum vicatim conſcribatur per domos. patres familias diebus feſtis cogant ſuos ad audiendum: ſi ſemel neglexerint, multentur certa pecunia; ea ſecundo, & tertio duplicetur, quarto vero cum exilio commutetur. tanta affluxit multitudo, ut pro ſexus, ætatiſq; diſcrimine quatuor locis frangatur panis paruulis petentibus. Vallenchenæ ſemper asſiſtunt ſenatores duo è magiſtratu, qui patrocinantur auctoritate, munuſculis animant pueros, heros, atque parentes in officio continent, dum ſtatis diebus rationem abſentium puerorum ab ijs exigunt, & multant vel etiam plectunt negligentes.

## Congregationes, & Scholæ.

BVrgis Congregatio Deiparæ Virginis, quæ conſtat ex adultioribus excreuit ad centum ſexaginta. Eadem Louanij inſigni, atque imitanda vtilitate deſignauit è ſuis quinque, qui cuiuſque menſis initio in ſcholis triuialibus pietatem procurent, & pueros confitentes audiant. Ex Duacenſi, ſodalis occur-



Digitized by Google

*rentem ſibi in platea pauperem, ſcabieque horridum perduxit in proprium cubiculum, in proprium lectum, & cæteris omnibus charitatis officis proſequutus eſt.*

*Gandauenſe Collegium hoc anno ſcholas aperuit. Vallecbenenſe quidem anno ſuperiore, & numerat auditores ducentos. Audomarenſe ſexcentos ſeptuaginta, Leodienſe ſeptingentos. Duacenſe mille ducentos, ex quibus centum creauit magiſtros artium.*

## Temporalia quędam augmenta.

*PRæter miſsiones, quas initio verſas in Collegia diximus. Burgis exhibitus dialogus ita delectauit ciues, & magiſtratum; ut is, qui paulo ante florenos ducentos donauerat, ſe alios quingentos, & in ſingulos annos aſsignaturum promiſerit. Traiectenſe quoq; Collegium, cuius alienum æs gubernator ſoluendum recepit, auctum eſt à Senatu ducentis florenis annuis; Louanienſe vero quingentis liberalitate matronę nobilis, quam ad reſtituendam ſupellectilem Collegij, vt imitarentur aliæ non ita locupletes ornatum muliebrem contulerunt, torques aureos, & monilia. Cortaci præter alia munera acceſſerunt aulæa raræ elegantiæ ſacelli paretibus circumquaq; veſtiendis. Antuerpiæ in tanta ædium amplitudine ſcholas, vt explicaremus, vel permu-*

*taremus,*

tarèmus, ſtructuræ ratio non permittebat; erant anguſtæ, eo loco poſitę, quo cæteris domeſticis muneribus impedimenti non minus afferrent, quam ab ijs acciperent. his ipſis non exiguo incommodo erant officinæ tinctorum Collegio aduerſæ. has officinas hoc anno creditores oppigneratas ſibi prætoris auctoritate occupauerant. Societas ſupplicauit ſenatui, nobis, ſuæq; iuuentuti cōmodaret, ædeſq; ſcholis extruendis aſſignaret. is paulo ante noſtram inopiam duobus millibus leuauerat, tamen grauiſſimo ſenatuſconſulto eas duodecim millibus emit. ex quo gymnaſium magnificè extruitur media vrbe, loco celebri, quem nunquam ſperaſſet aliquis venturum in poteſtatem Societatis, cum ſit à Collegio noſtro intermedia frequentiſſima platea diſiunctus; inuentum præ foribus antiqui operis toreuma. Deipara Virgo filium geſtans ſcribenti puero ſcalprum librarium, graphiarium, & atramentarium porrigebat: mirum Antuerpię, vbi contra ſacras imagines pugnatum eſt, ac debellatum ad internecionem, tandiu ſuperuixerint illæ effigies loco publico præ foribus viri hæretici, in ipſo conſpectu templi noſtri, quo tot annis ſacrilegè abuſus eſt miniſter hæreticus. fecit pia mater, vt intelligeremus locum illum à ſe conſeruatum, & traditum eſſe Societati.

Miſ-

# Miſſiones.

IMmiſcui Collegijs Sedem Bruxellenſem; ad quam Caſtrenſis pertinet. ea quanti laboris fuerit, quantique fructus ex ipſo nomine caſtrorum intelligi facile poteſt. viuendũ, & agendum inter arma, & cum militibus ideſt, (vt corporis incommoda præteream, quæ omnem excedunt fidem) vbi licentia ſuum habet imperium, vbi nulla lex, nulla ad bene viuendum auxilia, ſed contra ſumma impunitas, omnis turpitudinum, atque vitiorum colluuies: vel animo ſeruire cupias, vel corpori; vno loco propoſitas habes omnes functiones miſericordiæ, quas alibi ſparſim reperies; in ijs tales noſtri ſe præſtiterunt, vt vix illis materia bene agendi ſuperfuiſſe videatur, vt prudentiores nullum ſtipendium à ſummo exercitus ductore melius collocatum dicerent, quã quæ in nos conferebatur eleemoſyna. & ipſe ductor fænerari ſe nomine Regis Philippi diceret eam pecuniam, qua alebat in exercitu Patres Societatis. Clauſit caſtrenſem noſtrorum operam, & morte ſua annũ hunc luctuoſum Belgio reddidit Alexãder Farneſius Dux Parmæ, atque Placentiæ. Imperator non impar antiquis, ætatis vero ſuæ nulli ſecundus. opus non annalium noſtrorum, ſed grauis eſſet hyſtoriæ ſtylo perſequi bellicas ipſius laudes, vir-

Digitized by Google

*virtutes imperatorias, res præclarè geſtas, quam multa, quamquam inſignia reliquerit veſtigia ſuæ fortitudinis, pietatis, fidei erga Regem, cęterarumque virtutum, quæ deceant eximium Ducem chriſtiani exercitus. amauit certe Societatem in primis, numquam caſtra mouit ſine noſtris hominibus, quos ſummum robur ſui agminis appellabat. ÿs ſemper oſtendit omnia amoris præcipui argumenta, ÿs potisſimum ſuum ſemper animum credidit, ex quo Bruxellis tertio ſeptembris in eorum manibis mortem obÿt, ad quam paulo ante generali confesſione vitæ totius, toto hoc anno mēſtrua perceptione Eucbariſtiæ, frequenti exercitatione piorum operum diligentisſime ſe cōparauerat: quippe qui mente quadam miſſa de Cælo indubitanter ſentiebat, & cum vacationē ardentisſime à Rege petitam impetrare non poſſet, dictitabat ſæpe, cito reddendus terræ eſt ſaccus corporis mei, vacandum eſt animo. id quando non licet per Regem Philippū, oro Deum Optimum Maximum, vt ſaltem hos meos qualeſcunque labores numeret pro ſtudÿs illis, quibus mihi eſset ſalus animæ comparanda. aſsequetur vt ſperamus à Deo. nam quemadmodum ad tuendam ſui nominis immortalitatem contra impetum ſæculorum munitum vallum oppoſuit res, conſilio, manuque præclarisſimè geſtas, ita ad diripiendum cælū magnas vires attulit, pia opera, telum fidei,*

*ſuſcepta*

Digitized by Google

ſuſcepta pericula, diuturnas contentiones cor poris, atque animi, ſanguinem ſæpe fuſum, ac vitam denique pro catholica religione expoſitam. Groninga alterius partis Friſiæ occidentalis caput eſt: regio vberrima, ſed vaſtata ab hæreticis, ſed exhauſta bello duodecim annorum, quod ſuis expenſis pertulit, etiam circundata ab hæretico hoſte, qui quoquo verſus omnia prope oppida, & propugnacula occupauit. hic bini Patres ab hinc circiter annos duos, alter in vrbe, alter in vicinis oppidis, & arcibus munera Societatis obierunt ſolitis miſſionum operibus, labore, & fructu etiam maiore; quippe inter hoſtes, & inter hęreticos. eſt in eadem regione Stemuica oppidum nō procul à mari ditioni tranſinſulanæ finitimū, exiguum quidem, ſed hactenus militum noſtrorum præſidio munitum. huius gubernator cum imminere ſibi obſidionem pręcognoſceret, impetrauit per litteras, vt eo ſe noſter ſacerdos transferret. eius aduentus viſus eſt afferre ſingulis nouas vires, nouum præſidium, magnumq; commeatum in arcem, celebratus plauſu omnium ordinum, quos ille ad ſeriam peccatorum deteſtationem hortatus, plurimos audiuit confitentes, & ſacroſancto corpore Chriſti refecit. ſecuta ſtatim eſt obſidio, & oppugnatio vehemens. ab hoſtibus admota grandiora tormenta ſupra quinquaginta, è quibus ænei globi immiſsi vno die plures; toto illo tem-

Digitized by Google

tempore plures ſeptemdecim millibus, propugnacula non modo quaſſarunt, ſed euerterunt, adhibiti etiam cuniculi, quibus muros diſiecerunt à radicibus: quare poſtremo die cominus pugnandum in aggeribus mœnium, iniqua admodum conditione; hæretici ſiquidẽ abundante multitudine ſæpius feſſis, oppugnatores integros ſuffecerunt; noſtris non ad quietem non ad cibum capiendum, non ad liganda vulnera ſpatio relicto ſemper conſiſtendum, & pugnandum in eadem ſtatione fuit. iacebant circum quinquageni, & octogeni interdum ſocij haſtis traiecti aut glandibus plumbeis, ſtrati, vel cæſi vulneribus. moribundi interdum à propugnatoribus calcandi pedibus erant. madebant ſuo ipſi ſanguine, neq; tamen loco moti, nullum ſignum timoris, nulla mentio deditionis, nulla querimonia. ſed tãtus erat ardor pugnæ, vt quaſi creſceret cum periculis animus; arma, galeas, cæſorum capita, & truncos ipſos in hoſtem conijcerent. fuit, qui ter è vallo deportatus exanimis ſemper vt ad ſe redijt, redijt ad vallum. donec ibi ad ſe non rediturus fortiſſimè cecidit. fuerunt qui cum ſtupore omnium ſublati vi tormentorum in aera, atque delapſi incolumes nihil moti tanto periculo perſiſterent in pugna. fœminæ, quaſi naturam exutæ, non commouebantur prope cadentibus filijs, cadente marito, ſed tela miniſtrabant pugnantibus, ipſæ tormenta explo-

debant

*debant in hoſtem. non fuit in tanto numero vulneratorum qui nõ Patrem accerſeret, qui Patrem, ſi loqui poſſet non appellaret, ea erat vox proſtratorum, ea morientium, Pater, Pater, ſe felices arbitrabantur, ſi ipſum conſpicerent antequam efflarent animam. Pater ſine cibo, ſine quiete circumcurſabat, monebat, hortabatur, benedictionem impertiebat, cõfitentes audiebat, interdum non ſine admiratione, cum cerebrum efflueret, & ſpiritus ad plenam diſtinctamque confeſſionem ſupereſſet; nox oppugnationem opportune diremit. ceciderant è noſtris milites præſidiarij trecẽti: reliqui propter grauitatẽ vulnerum, propter fuſum ſanguinem, aut propter diurnos labores arma non regebant manibus. Capitanei, duobus exceptis, omnes aut interfecti, aut ſaucij, commeatus fere nihil, tormentarij pulueris vix duæ libræ ſupererant: ſtrata circum mœnia, patentem aditum hoſti præbebant in arcem. quare teneri amplius, neque ad horam poterat. cæſa hoſtium ſupra duo millia; chiliarca vnus, Capitanei decem. quare dux hoſtium Mauritius deterritus tanta cæde ſuorum, conſtantia oppugnatorum, quorũ ſtatum meliorem eſſe putabat, de pace agere cœpit cũ oppidanis: non conueniebant, quia ille inter primas conditiones Ieſuitam ſibi tradi poſcebat: quod adfuiſſet in carcere Reginæ Scotiæ, quod mortem intentaſſet Reginæ Angliæ:*

pro

Digitized by Google

pro quo capiendo ſe dicebat non grauatè totũ exercitum fuiße profuſurum. hi malle ſe profitebantur omnes pugnando cadere, quam Patrem prodere. cumque reditum infecta pace pararent; callidus hoſtis expũxit articulum: noſtri vero Capitanei fraudem ſubodorati, Patris incolumitatem ſeparato articulo ſanciri voluerunt. ſed nequaquam ſatis illi cauerũt: nam honeſtis conditionibus tranſactis cum ingreſſi hoſtes eſſent in oppidum, & milites noſtri diſcederent cum ſarcinis, vbique Ieſuita diligentiſſime perquiritur. ille re audita, vltro ſe offert quærentibus; nec mora; vincitur catenis, deducitur ad concilium, de rebus varijs, atque indignis interrogatur, ſed ita perturbatè, atque confuſè; vt cum alio alij errore nomen, patriam, tempora, permutarent, facile omnes eluſerit, cumque eum nominatim quærerent, eſſe tamen alium opinarentur. conijcitur in carcerem appoſita cuſtodia lictorum. aduolat miniſter hæreticus, & quoniam breui Patrem ſuſpendendum audierat, hortatur pluribus, vt nouum euãgelium agnoſcat. reſpondit Pater, quæ videbantur: ſed animaduertit Miniſtrum ita hebetem eſſe, atque rudem, vt rationes non intelligeret, nihil haberet noui, ſemper eadem preſcripta, atque concepta verba iterando inculcaret identidem. diſce à me veritatem. Pater petulantiæ, atque impudentię pertæſus aperto capite ſuos homini canos

oſtendit,

Digitized by Google

oſtendit, & voce, magno impetu, elata, tu, inquit, barbatule ignorantiſſime rerum, vel abi hinc, vel diſce à me multo ſaniore veritatem. verborum ſonus, & grauitas ita miſerum deterruit, vt neque verbum reſpondere auſus confuſus diſceſſerit. gloriabatur tamen quod cum Ieſuita diſputaſſet. Vulgato interim periculo Patris, ita ardentes noſtri milites affirmabant ſe ſine Patre non egreſſuros. palam oppidani querebantur, vtrorumque Duces ita inſtanter egerunt cum Comite Mauritio, vt ad perfidię ſuſpitionem vitandam Ieſuitam dimitti cum catholico præſidio iuſſerit. Pater ereptus vinculis, incredibili concurſu amicorum eo maiore omniũ gratulatione, quo propior periculo fuerat adijt Comitem Mauritium, ab eoque petijt mandaret, ſibi reſtitui equum ſuum, pecuniam, breuiarium. variè quidem, atque immodeſtè ab eo conſeſſu luſum in breuiarium, in Societatem. verum ad omnia Pater ita appoſitè reſpondit, eos interdum aperta veritate conuincendo, interdum modeſtè pudefaciendo, excitando interdum riſum, interdum admirationem, ſignificatione charitatis, ſcientiæ, modeſtiæ, prudentiæ, vt omnibus iam victis, atque obmuteſcentibus, Comes Gulielmus Mauritij cognatus germanus, peſſimus licet hæreticus palam dixerit, ne ſperet quiſquam ſe reportaturum victoriam à Ieſuitis. apud quos vix illitteratum, ſtupidum

certe

certe nullum inuenies. Ex quo ſuis rebus recuperatis honoratior ab ijs diſceſſit.

Hoc anno patefactus aditus in Hollãdiam, duo miſſi. eorum alter vix è portu ſoluerat cum leuatur ſarcinulis, crumena, pallio, galero: vix primos euáſit, cum incidit in ſecũdos, à quibus rebus plane omnibus calceis, induſio ipſo exuitur & oneratur verberibus, ſuper iniectis ſcrutis aliquot ſordidiſſimis, quæ quidã ex ijs abiecerat, ſeminudus deflexit in vicinam patriam. petit à matre eleemoſynã: ſed ab ea abijcitur quaſi ſcurra, vel amens. diſceſſit gaudens, quod dignus habitus eſſet ab ipſa Parente pro nomine IESV contumeliam pati. peruenit tamen Duce Deo ad ſtationem deſtinatam. ſunt hi catholicis magno ſolatio, atque præſidio. ſperantur fructus quotidie maiores, quales etiam à miſſione Montenſi percipiuntur.

H PRO-

# PROVINCIA GERMANIA SVPERIOR.

IN ſuperiore Germania ſocios vniuerſe cenſuimus ducctos octoginta vnum, Domicilia tredecim, ea ſunt Collegia nouem. Ingolſtadienſe, Dilinganum, Monachienſe, Auguſtanum Ratisponenſe, Oenipontanum, Halenſe, Lucernenſe, Friburgenſe, vna probationis Domus Lanspergæ, duæ Reſidentiæ Bruntutana Oetingenſis, vna Miſſio Conſtantienſis. ſingulorum locorum numerum non adſcribimus, quoniam neque explicatus eſt in commentario, qui inde miſſus in Vrbem. in Societatem adſcripti ſeptēdecim. vita functi tres. In his Monachij P. Gulielmus Helderer poſt curriculum annorum duorum, & quadraginta feliciter in ſocietate confectum, primus humatus eſt in nouo Templo. Ambianum deductus è caſtris Gallicis ceſſit è vita P. Georgius Hippius. prope omnes ſumma pietate ſibi deuinxerat. nam proprij corporis oblitus, Deo ſe totum, & proximis impenderat. ſurgebat ſæpe de nocte, ſæpe de menſa, non modo vt milites moribundos adiuuaret, ſed vt

ægrotos

ægrotos inuiſeret, vel mortuos ſepeliret. Vir planè admirandus propter eximiam hilaremque charitatem, quam in ipſa morte non dubiam oſtendit, nam cum videret ſocium ſuo morbo commotum, & quærentem num illi aliqua re opus eſſet, quid, inquit, opus eſſe poteſt homini paulo poſt Deum habituro? quid mihi mæſtitiam præfers? quin gratularis potius præſtolanti tantum bonum? tum eum arctiſſimè complexatus, vale, inquit, frater cariſſime, & pro me Deum venerare, qui me vocat: deinde ſæpius iterans ſuauiſſimum nomen Iesv ad ſuperos vti confidimus euolauit. Dilingæ obijt ſocius, qui extrema hora ad ſe introduci iubet adoleſcentes, quibus erat præfectus, & opinione virtutis, & oratione prudenter habita eo loco, eo tempore vniuerſis extorſit lacrymas, & magnum iniecit beneuiuendi deſiderium. Vir fuit raræ prudentiæ, raræque deuotionis, eaſque in vita, & in morte præ ſe apertiſſime tulit.

## Quæ geſta ſunt in procuranda ſalute proximorum.

MVlti exuſti libri, vaſa veneni hæretici. ea labe Deus per Societatem abluit, Lucernæ duo de viginti, Dilingæ duo de triginta Ingolſtadij quinquaginta, Auguſtæ triginta, Ra-

ta, Ratisbonę viginti, vno plus Friburgi.

Ratisbonæ instituta Congregatio B. Virginis. Quidam ita æstuabat desiderio Sodalitij Ingolstadiensis, vt quamuis sanguineam pituitam propediem moriturus euomeret, corpore esset ægerrimo, totusque contremisceret; tamen designato die, baculo innixus traxerit se ad conclaue sodalium. receptus in Virginis Matris chorum salubriore ex eius vberibus lacte epoto præter omnium spem cum miraculo plane conualuit.

Variæ factæ missiones præsertim a Ratisbonensibus, à Dilinganis, ab Ingolstadiẽsibus, in oppido quodam indignissima superstitio eradicata est: nam die Sancto Parasceues cum imago Christi de Cruce pendentis populo veneranda proponitur accurrebant omnes, præsertim mulieres ouis, caseo, lardo, & id genus esculentis vana religione omnes penitus partes Crucifixi certis vicibus admirabiles quosdam euentus contrectabant.

Ad Galliæ bellum iussu Pontificis missi tres è nostris. vbi tanta charitatis exercendæ materia; vt alia multa præteream, quę pertulerunt quæque effecerunt, ad ouile Ecclesię reduxerunt quadraginta.

Ali-

# Aliquorum ſtudia, & beneficia in Societatem.

*INgolſtadij laxatæ anguſtiæ domeſticæ per amplā fabrica extructa ad Collegiū. Bruntruti creſcente numero diſcipulorum, Magiſtratus egregiam fabricam ſcholis prioribus adiecit. eandem, cum non ſatis exiccata pondere tecti corruiſſet, iterum hac ipſa æſtate erexit. piorum munificentia templo Lanſpergēſi donata munera aureorum plus quingētorum, Dilingano plus duorum millium. Auguſtano pro venerabili ſacramento corona grauis auro, gemmis, atque opere illuſtris.*

*Hic apud nos ad rem chriſtianam promouendam magnum habet momentum videre Societatem eſſe in precio apud viros Principes: huc illa pertinent. Duciſſa Auguſta Lotaringiæ cum hac iter faceret, non modo Collegium inuiſit, ſed in tēplo noſtro publice magna multorum admiratione, magno exēplo expiationis, & corporis Dominici ſacramēta ſuſcepit. Illuſtris ſimus Fuggerus noſtrorum opera præparari voluit ad ineundum Sacerdotium, & ad rem ſacram primo faciendam, quam & in templo noſtro ea pompa, eaque celebritate decantauit, quæ tantum virum, tantamque familiam decuit. illuſtris Comes Hieronymus de*

Portia per ſuperiorem Germaniam Nuntius Apoſtolicus in procuranda ſalute animorum opera noſtra, & ſæpiſſime, & libentiſſime vtitur Dilingæ tum Baſilienſi, & Eluuacenſi totum diem apud nos egerunt, ſummamque perceperunt è conſpectu litterariæ palæſtræ voluptatem.

## Dux Bauariæ, & eius filij.

GVlielmus Dux Bauarus iamdudum deuinxit ſibi, ſuæque familiæ Societatem, & eximia voluntate, quam ſemper illi paternam præſtitit, & memoria meritorum in eam immortalium, toto orbe Terrarum in noſtris mentibus grati, atque memoris animi deſiderium altius illa defixit nullis delenda temporum iniurijs, nullis terrarum, aut marium interuallis. in Germania certe, vel nolentibus per ſatura ſunt ſemper ob oculos in tot Collegijs, templis, Gymnaſtis, alijſque molibus, in luculentiſſimis eorum fundationibus, atque dotationibus, quæ ſui in nos amoris, atque munificentiæ monumenta æterna tanto; tamque pio Principe digna conſtituit. Decimo quarto kalendas februarij venit in Monachienſe Collegium. conſtitit in Triclinio cum coniuge, cum Ferdinando germano fratre, Maria Anna filia Caroli Auſtriæ, atque Stiriæ Principis. aderant filij Maximilianus natu maximus, Albertus

bertus natu minimus præclariſſimæ tanti parentis imagines. alterum latus cingebat Senatus domeſticus viri primarij nobiliſſimiq; Cancellarius, Aulę Præfectus, & qui Principi eſt à ſecretis. remotis alijs arbitris, noſtris in Triclinio ſtantibus, Cancellarius iuſſu Ducis Patria lingua onerauit præclariſſimis laudibus Societatem: contulit cum præterito florentem in præſentia ſtatum Bauariæ, acceptumque retulit noſtris laboribus pro ea iam inde à temporibus Gulielmi IIII ſuſcepti;. pergamus certare pro ſtabilienda auita religione, quam in Bauariam reduximus. eo labores, ingenia, preces conferamus: habituri homines teſtes, & admiratores in terris, Deum remuneratorem in Cælis. expoſuit quantam ex eo Dux voluptatem accipiat, quantum debere ſe profiteatur ordini noſtro, quamque cupiat eius voluntatis aliquam dare ſignificationem: dilapſus ad Templum, quod tam precioſa ſupellectile, auro, argentoq; in diuinum cultum locupletauit, ad erectum gymnaſium, Collegiũ polliceri propediem aſsignato ad eam rem in ſingulos annos certo cenſu, totum opus abſolutum iri: & quinque millium florenorum in Collegij dotem ad ſcholares in poſterum informandos, & alendos: hæc illum nobis vltro largiri omnia, tanquam debita ſtipendia Caſtra, armamentaria, delectis Bauari ſoli militibus: velle noſtra eſſe pleniſſimo iure, nobis dare, dica-

tare, addicere his præclariſſimis teſtibus, Deo ſuaſore atque auſpice. & cupere in primis vt cedat in eius maximam gloriam, in ſummum decus, felicitatemque Bauaræ familiæ, Prouinciæ, Societatis, Eccleſiæ. Hoc loco Dux diploma ſua manu, ſuoque ſigno confirmatum Rectori tradidit, tantam præſeferens hilaritatē, vt beneficium non dare, ſed accipere videretur. Rector pro re pauca reſpondit. ſecutum epulum lautiſſimum, in quo ad eum dicta eſt luculentiſſima oratio. Neque Dux eo contentus, quo tempore auguſtiſſimum Sacramentum feſta pompa obire ciuitatem aſſolet, ad illud geſtandum honorificentius donauit ſumptuoſiſſimam vmbellam, & pixidem argenteam vndequaque illuſtratam auro, gemmis, emblematis, pondo quantum geſtare poſſit vir bene robuſtus. pes formam calicis imitatur, diuinam hoſtiam in caua illuſtrique chryſtallo ſuſtinet auro fuſus angelus nixus genu, & vtrinque brachia ſuper caput eleuans.

Oetinga vetus non procul ab Oeno flumine ſita illuſtris eſt, atque celebris ob antiquiſſimum, & religioſiſſimum ſacellum a Diuo Ruberto Bauarorum Apoſtolo ante annos prope mille trecentos B. Virgini dicatū, in quo propter illius loci reuerentiam Reges, atque Imperatores à Deo ſunt ampliſſima beneficia conſecuti. hoc etiam tēpore eo innumera promultitudo mortalium voti cauſa confluit,

Laure-

Lauretum in Germania dixeris; magnamque locus præbet opportunitatem iuuandi proximos. id fecit, vt Bauariæ duce poſcente, atque ſuppeditante, quæ neceſſaria ſunt, ibi aliquot è noſtris conſideant; miſſi quinque eos collegere fructus, qui expectari poterant ex tam opportuna meſſe, tam incultum genus hominū ita ſimplex, & rude; vt non immeritò eas tabulas raſas quotidianis ſermonibus appellemus. Ne minora prætermittere, aut negligere videamur pro diſſoluendo ære alieno Collegij Oenipontani, Dux idem trecentos florenos, & vini plauſtrum aſſignari iuſſit.

Calcant tanti parentis veſtigia digni tanto parente filij. Maximilianus, vt oſtenderet ſuas eſſe delitias, vel Societatē, vel pietatem, poſtrema nocte bacchanalium cœnare in Collegio, longius peregrinaturus comitem habere voluit hominem Societatis

Porrò Ferdinandus Archidux, vt cæteros non minus literis, & meritis, quàm nobilitate ſuperet, Ingolſtadij tempore ſtudij renouandi, laturis de cuiuſque profectu ſententiam ita prompte reſpondit, vt voluptas interrogantium reſpondentis alacritas, examen ad integram horā protraxerint. declarata illuſtris eſt adoleſcentis præſtantia, atque palmam omnibus eius non tituli, ſed merita præripuerint. Mox publice politicis priuatim Mathematicis nauare cœpit operam. Tum ipſe tum

Philippus frater in Italiã profectũri ſibi e Societate duos adiunxerant: in Templo noſtro publicè ſumpſerunt Euchariſtiam, neque vllum admiſerunt comitem, qui non ſe prius leuauerit farcina peccatorum.

# PROVINCIA AVSTRIA.

## Noſtrorum numerus.

HAbemus in Auſtria octo domicilia, ſocios paulo plures trecentis. Viennæ duos & ſexaginta: Græcij ſexaginta: in Brunenſi domo probationis vndequinquaginta. Olomucij duo de quadraginta. Pragæ vnum & triginta. Thurocij, & in Tranſyluania ſex ſupra viginti. Quinque minus Crũlouiæ. Comotouiæ tredecim. In miſſione Vratiſlauienſi quatuor. Illa omnia collegia ſunt Bruna excepta. Vita functi quatuor: adiuncti noui circiter viginti; ex Olomutenſibus cõgregationibus duo, ex Pragenſi Collegio tres, ex Comotouienſi vnus, ex Crumlouienſi quatuor; inde ſex in alias ingreſſi familias. & meditatur ſocietatem probatæ patienitæ, atque fortitudinis adoleſcens. quoniam triennio

ante

Digitized by Google

ante deſertis caſtris paternis tranſierat ad catholicos, diuturno bello graues vexationes pertulit à domeſticis. ſed tamen ſua conſtantia vicit aduerſariorum improbitatem. vt hoſtiam Deo pro parta victoria immolet, ſuum ipſum caput Societati deuouet. Factus hoc ſacrificio, & ipſa pugna fortior; ſuſcipit maius bellum, & periculoſius; illudque ingenue patri denunciat; dum ſuum conſilium ſubeundi religioſi ordinis impauidus aperit. næ pater excandet; ſed iram altius premit pectore. verſat omnibus artibus adoleſcentem. vbi ex omni parte conſtantem in conſilio perſpicit, iamque meditari fugam intelligit, amens furore pugnis, & calcibus ora proſtrati fœdat atque confundit. hoc prælu dio furoris in miſerum effuſo, matre in crudelitate ſocia, atque miniſtra veſtibus omnibus exuit; ſtatutus tenerũ adoleſcentem flagris concidere, vel vſque ad mortem, vel donec fidem extorqueat, qua iureiurando ſe ab incæpto deſtiturum affirmet: atrox ſpectaculum: carnifices filij parentes; tormenta admouent, vt à virtute, vt à Deo diuellant. non conſtantia iuuenis, non ſanguine, qua nigreſcente, qua erumpente leniuntur: à verberando prius defatigatio, quam miſericordia reuocat. Sed dum vires tantiſper quieſcendo recolligunt ad prælium ſecundum atrotius; adoleſcens non ſine Dei nutu, atque ope, proſilit in viam ex altiſſimo loco; detrimento

mento nullo, periculo quidē maximo: & tranſuolat ad Collegium, nullo veſtitu, nullo ornatu, niſi vibicum & ſanguinis, quod gratiſſimum Diuinis oculis, humanis admirabile in carne filij paternæ manus effinxerant. Vratislauiæ quoque, vbi tres virgines dicatæ Deo; adoleſcens, qui aſpirat ad ſocietatem, accuſatus à matre hæreſis deſertæ crimine; raptatus ad tribunalia Prędicantium, magna diſcrimina ſubijt, ſed reportauit ex omnibus gloriam.

## Quoddam pœne miraculum.

AFficitur gloria Deus, cũ ſeruorum eius labores enumerantur, & creſcit laborantibus animus, cum aliqua ex parte reſpondere operę fructus oſtenditur. hic ſolum negotium eſt in conſeruãda fide orthodoxa, in euertenda hæreſi. res agitur priuatim, ac publice, adminiſtratione ſacramentorum, colloquiis, diſputationibus, concionibus, quas ſingula prope collegia diuerſis linguis, quaternas, quinas, & ſenas interdum habent. præſto eſt laboribus noſtris Deus Optimus Maximus, ſuamque opem rebus perſæpe indicat, quæ non longiſſime à miraculis abſunt. prætereo multos, qui cum ſpectris varijs vexarentur à dæmone, hãc vel illam formam induto, ſumptione Eucha-

riſtia,

*riſtiæ, ſacra confesſione, luſtrali aqua liberati ſunt, illoque ſigno moniti de vera religione cõgitare cæperunt. Ruſticus noſter die veneris negotij cauſa hæreticum villæ miniſtrũ adijt. erat in mẽſa opipare ſane apparata carnibus, iubet ille asſidere hoſpitem, vt irridendũ propinet compotatoribus: quippe catholicum inuitat ad carnes: cum ille conſtanter abnueret, & ſe, eo die arceri ab ijs religione diceret, arripiunt riſus materiam, vrgent, ſollicitant, riſu, cachinnis, atq; temulentis clamoribus admouent ori, intrudunt prope in oculos. tum egregius miniſter magnum bolum delicatisſimæ carnis arripit, ruſticum nomine appellat, & in eius ludibrium cunctis intentis ad ſpectaculum manum attollit, ac deglutiturus pandit impurisſimas fauces. non adhuc eſca erat in ore ipſius, & ira Dei deſcendit ſuper eum. hæſit aperto, atque hianti ore. nullo conatu, nulla vi coniungi iterum maxillæ potuerunt, quas Deus diſiunxerat. perducitur Vratislauiã, fruſtra adhibet chirurgos, alioſque medicos; dumque magni fiunt ad rem nouam concurſus; ille, qui contra religionem catholicam os aperuerat, & ore apertisſimo verbum exprimere nullum poterat, eo miraculo prędicabat aptisſime fidei veritatem, in eiuſque teſtimonium os habebat apertum inuitus. Non abſimili modo, funeſtiore exitu, petulans muliercula inter catholicos immorans die ſab-*

*bati,*

bati, vt primum carnis bolum in os ingeſſit, extincta repente in terram concidit.

## Traducti ad veram Religionem.

Crumlouii repoſiti in gremio ſanctæ Eccleſiæ octodecim. Comotouię quindecim ſupra quingentos, Conſul primas, quique cæteros dignitate, ac poteſtate præcedunt. horum auctoritate ita excitati ciues, etiā quos ſuburbia complectuntur, vt certatim verbo ſcriptoque promiſerint ſe certo tempore præeuntium ſecuturos exemplum. Loci Dominus ex hoc progreſſu religionis tantam voluptatem hauſit, quantam animo continere non potuit, Te Deum laudamus ſolemni ſymphonia decantari, pulſari campanas, bombardas explodi, & quaſi de hæreſi debellatum eſſet, dari publica lætitiæ ſigna mandauit; quippe qui hoc vnum habebat in votis, hoc vnum diu noctuque verſabat animo, eamque ob cauſam nō modo poſthabuit magna ſua emolumenta, ſpreuit ingentem vim auri, fecit largitiones, dedit immunitates, oppida ita deuinxit, vt futuri imposterum heredes iure cadant hæreditatis, ſi in illa aduehi religionem diſcrepantem à Romana permittant; ſed multa præſtitit digniſſima, quæ commemorentur à nobis, niſi

inſti-

inſtitutum eſſet tantum perſequi omnino propria Societatis. Pragæ Lutherum deteſtati ſexaginta. abiurauit publice quidam, qui in nonnullis Academiis magiſtrum, & concionatorem egerat in Saxonia. ſuo exemplo labefactauit pertinaciam plurimorum, euertit multorum. Græcii ſex & viginti, Brunę ſeptem ſupra triginta, Olomucii quadraginta. Cæteros omnes antecelluit Philippi Melanctonis diſcipulus. maximam partem ætatis (erat annos natus quinquaginta) conſumpſerat in prædicanda, atque diſſeminanda Lutherana doctrina, de qua dubitare tandem cœpit: cum toto illo tempore neque animi tranquillitatem, nec ſolidi quicquã inuenire potuiſſet in ea, quam ſingulis oppidis à ſe ipſa diuerſam, & in eodẽ oppido ſingulis propè annis immutari videbat. e Saxonia Olomucium appulit, eò magis fulgorem cõſtãtiæ catholicæ admiratus, quo ad illam eſt è maioribus, atq; diuturnioribus tenebris traductus. execratus in templo frequenti populo Lutherum eſt, iamque nititur quantum exhibuit linguam ſuam ſeruire iniquitati ad iniquitatem, tantum nunc ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Viennæ quoque leuitatem Lutheri cognouit cum aliis ſexaginta miniſter vnus: nec non puella nobilis, quæ cum diligentiſſime à parentibus in Lutheraniſmo, & in odio catholicorum educaretur, neſcio quo caſu, (ſi caſu licet appellare, quod

ſumma

Digitized by Google

*ſumma prouidentia factum eſt) in templum noſtrum ingreſſa, dum curioſius cum admiratione munditiem, ornatum, ceremonias, cuncta rimatur, ſubito imbre lachrymarum oborto, conuertit ad ſe omnium matronarũ oculos. quærunt gemitus cauſam. quia, inquit, hęc illa religio (intimis agnoſco ſenſibus) ad quam Deus me pænę ab infantia, quadam animi propenſione, & ſtimulis cæleſtibus allexit; ſed completi, aut ſaltem audire per domeſticos impoſtores nunquam licuit. quo audito iubent eam bono eſſe animo, rem ſtatim cum viro ſocietatis communicant, qui fideli matronæ interprete eam fecit ſui voti compotem, adiunxit Eccleſiæ, muniuit ſacramentis, & iiſdem in præſentia, communit. Nobilis adoleſcens natione Vngarus, veritus ne à propinquis, aut amicis infidelibus iterum inficeretur hæreſi, à qua ſe in gymnaſio noſtro purgauerat, virum ſocietatis adit, cõſulit vtrum probet Romæ petendæ conſilium. quærit ille quis ſit neceſſaria vitę in itinere, aut in vrbe ſuppeditaturus. Deus, inquit, cuius cauſa iter arripio, & fugio patriam domeſticis commodis affluentem. Subiunxit noſter; at etiam hæreditate priuaberis; terrena priuent licet, inquit, ſic mihi magis obligabunt Cæleſtem. iuit cum Legato Tranſyluaniæ. à ſummo Pontifice benigniſſime exceptus, & collocatus eſt in Collegio Germanico. A communione ſub*

*vtraque*

vtraque ſpecie dimoti nonnulli, Olomucij ſexaginta, Pragæ quatuor & triginta, Græci nouem. ibi vocante Deo Cœleſti doctrina, atq; fonte luſtratus eſt Turca adoleſcens, magna pompa in templo noſtro Archiduciſſa, & filio Maximiliano excipientibus.

## Scholæ. Congregationes.

COmotouium ſcholas fecit quaſi è priuatis publicas. celebrata primum innouatio ſtudiorum ſumma pompa, nobilitatis, vniuerſæ concurſu. iuuentus in quatuor diſtributa claſſes. omnia præmia tulerunt qui ſunt è contubernio pauperum. literæ ſiquidem in ſolo voluptario non admodum excreſcũt. Diſcipulos Vienna mille numerat, ducentos quinquaginta Cromlouium. Ex his vnus rationibus vicit hæreticum, qui cum victoriam arti ſophiſticæ tribueret; prouocare auſus eſt ad emetiendam nudatis pedibus viam ſtratam accenſis carbonibus, & corporis integritate religionis veritatem diſtinguendum. deterrere forſaſſe voluit adoleſcentem, ſed is conditionem amplexus, ſerio ſe ad nouum diſputationis genus oratione, & ſacramentis diligentiſſime comparat. certo tempore maximo cõcurſu mortalium deſcendit in arenam, in qua inanis iactator ſuæ cauſæ diffidens apparere non eſt auſus. Retulit Catholicus Deo, ſuæque



Digitized by Google

religioni ſummam laudem, & ſibi honorificam ſine pugna triumphum. Ex eorundem diſcipulorum quaſi floribus ſodalitium collectum, & Virgini Deiparæ dicatum. Inſtitutum, & aliud Brunæ ex opificibus fere Italis ſub nomine Virginis Annunciatæ, & primario Romano connexum. Aliud in Collegio Viennenſi ex iunioribus adoleſcentibus; grandiores vero, quibus fuit paulo ante adhibendum calcar, ita excitati ſunt, vt fræno indigeant, ne corpus opprimant verberibus, cilitijs, & ieiunijs diuturnioribus, ſolo pane, & aqua ſuſceptis.

## Progreſſus ædificiorum, & collegiorum.

BRunenſe tyrocinium auctum eſt nouo prædio. Pragenſe collegiũ proximis ædibus, quas nobis gratiores fecit modeſtiſſima priorum inquilinorum vicinitas. Thurocij excitatæ à fundamentis ſcholæ tres, exædificata nõnulla cubicula, & hypocauſta. Comotouij ſcholæ quatuor, vrgentur cæteræ ſumma fundatoris beneuolentia, ac liberalitate. Ille fundatũ à ſe collegium ſolemni pompa Academiæ titulo, atque priuilegijs inſigniuit, impetrauitque ab Imperatore rarum, & illuſtre diploma, cui nomen vulgo facit aurea bulla, quæ

pendet

pendet. hoc fermè modo xvii. kal. Iulias Pragæ in templo Societatis præſente Hiſpano oratore, & primoribus regni, atq; aulæ Cæſareæ dynaſtis Patriarcha Alexandrinus Apoſtolicæ ſedis nuncius actionem à re Diuina auſpicatus eſt. ea facta fundator per oratorem expoſuit ſuum de Societate iudicium, ſuam voluntatem in noſtros, ſuum de Collegio fundando, firmando, atque exornando conſilium; quidque ab eo ſperet vtilitatis Ciuitati, atq; regno vniuerſo. tùm diploma porrexit in manus Patris prouincialis. pater Prouincialis accommodata oratione ad vniuerſa reſpondit, gratias egit, ac diploma Comotouienſi Rectori tradidit. Rector fundatori de more Societatis cereum ardentem in ſignum fundationis acceptæ, ac eius pro fundatore habiti obtulit, atque fœlix fauſtumque precatus illi, præſentibus, toti regno actionem clauſit plaudente ſymphonia, & populo.

## Miſſiones.

MIſſio Vratislauienſis eundem tenet curſum laboris, & fructus. abduxit ab hæreſi duos & viginti. Ex omnibus locis variæ factæ excurſiones, Vienna in Vngariam quatuor circiter menſium ſpatio rogatu proregis. Habitæ conciones in præcipuis regni ciuitatibus, & duobus menſibus in ipſo Comi-

tiorum loco magna omnium ordinū, & ipſorum etiam inimicorum approbatione. ex quibus ſex Principes viri fidei Romanæ ſubſcripſerunt. per Pragenſes in proximo pago Comotouienſis fundatoris capita triginta reliquerunt hæreſim, & communionem ſub vtraque ſpecie. Grçcio, vnde bini caſtra ſequuntur Marchionis Auſtriaci contra Turchas, itū in vicinas villas. Item Crumlouia. ab his docendi fuerunt ſacerdotes formam abſolutionis, & reuocatum verum penſum horarum vesperarum, quas in duos pſalmos cum oratione, cçteris omnibus mutilatis coarctauerant. extorta à centenario hæreſis, & binæ ſpecies, à capitibus circiter triginta. Thurocio, atque Olomucio luſtrati noſtri, vicinque pagi, vbi tantus paganorum animi candor, vt publicè in Eccleſia peccata detegant, atq; ſibi ignoſci depoſcant. In noſtro Scillienſi oppido impetranda pace ab inimico, ereptus quidam iuuenis eſt à mortis ſupplicio. & orthodoxa explicatione Euangelij decrepita architecti vxor erepta è faucibus inferi, in quas à pueritia ſuis eam Lutherus nexibus abſtraxerat. Noſter ſacerdos proſecutus Veſpriſnienſem Epiſcopum, in parentis arcem Vngaricam reduxit ad viam ſalutis matrem ipſius, quæ viginti annis neſcia quid crederet varijs vſa miniſtris errauerat; nec non & eius cōſanguineum, qui eo erat difficilior, quo ſibi intelligentior

tior

Digitized by Google

tiorêſſe videbatur & literatior. In comitatu Liprouienſi, malo loco pagi noſtri res erant pagani omnes hæretici ſub eiuſdem farinæ lupo magis, quàm paſtore. neque ſermonem audire volebant catholici Parochi, in eius perditisſimi locum ſubrogandi. Auditum eſt miniſtrum illum totum eſſe in datis & acceptis, in venditionibus, & emptionibus, eo quod rem frumētariam, & pecuariam exercebat. concionandi, ſuique muneris præſtandi tempore vel aberat, vel ita aliorum negotiorum occupationibus detinebatur, vt reputari pro abſenti poſſet. Rector vſus occaſione hominem acceſſit, enumerat hæc omnia, & graui oratione negligentiam arguit. neſciebat miſer quid reſponderet, vera erant quæ obijciebantur, prouocare non poterat ad paganos, quorū Rector agebat cauſam; neq; exclamare id fieri aut odio, aut cauſa religionis. quare fatetur errorem, deprecatur culpam. mercaturæ cauſam affert ſuam tenuitatem, qua etiam impediri ſe aſſerit, quò minus alere vicarium posſit. præfert Rector miſericordiam, & pro ſumma liberalitate Vicarium ſe Collegij ſumptibus ſubrogaturū promittit. agit ille gratias maximas, ſe tantæ liberalitati deuinctisſimum oſtendit, & ſe ratus impoſuiſſe Rectori gaudio cumulatisſimus abijt; quippe qui ab omni prope labore, atque cura ad ſua negotia futurus eſſet expeditior. Rector ſtatim eo miſit ſacerdotem



Digitized by Google

ſatis, qui capellanum indutus, libentiſsime miniſtro totam omnino curam animarum ſuſcepit. obſeruarunt ſtatim ruſtici omnes magnam vtriuſque diuerſitatem in conſuetudine, atque moribus; miniſtri impuritas, auaritia, ebrietas, ſcelerum colluuies, hunc reddidit multo admirabiliorem. Cōtra verò huius charitas, prudentia, cæteræque virtutes ita fecerunt miniſtrum exoſum, vt prodire non poſſet in publicum, & paucis poſt diebus obduratus in hæreſi moreretur. quare conſentiente populo ſibi noſter totius parochiæ curam vindicauit. domo exegit Dominam parocham præteriti miniſtri coniugem cum liberis; ſe Ieſuitam aperuit, reuocauit vexilla crucis, aquam luſtralem, ſacramenta, ac ne ſingula commemorem, quæ plurima ſunt, ipſam Eccleſiam, quæ dudum ex eo loco exulauerat. ex quo ſtatim plures quingentis in priſtinam filiorum Dei libertatem vindicauit. Diabolus tam proſperos conatus ægre tulit. vſus ſolitis artibus, & miniſtris vt eos euerteret. ſubornant elegantes puellas, vt aditū ſibi facto per ſpeciem pietatis ad Patrem itando, ſalutādo, munuſculis, lenocinio verborum eum alliciant, & ſibi plus æquo deuinciant. non ſucceſsit, quia patet vbi intellexit blanditijs carnē ſubeſſe venenum, ita male multatas domum remiſit, vt amorē omnino ex earum animis extuſſerit. quando miniſtri inſidias irritas vident,

Digitized by Google

dent, ſpargunt toto Liptouienſi comitatu rumores: irrepſiſſe in ſuos fines Ieſuitam, qui omnia permutet, perturbet, & niſi quàm ocyſſime expellatur è finibus, profligaturus omnino ſit eorum euangelium. Comes hæreticorũ omnium patronus diligentiſſimus continuo patrem noſtrum acccerſiri iubet. quærit quomodo ſit fines Liptouienſes ingreſſus. pater, qui nouerat ingenium comitis, non modo ſine timore, ſed quandam alacritatem, atque feſtiuitatem præſeferẽs reſpondet, curru vectus intraui. quæro, inquit; à quibus miſſus. ait à ſuperioribus meis. ait ille, quando? Statim atq; iuſſerunt; quàm diu moraberis? donec ijdem reuocent. delectatus comes libertate, ac ſuauitate ſermonis Patrem lauto epulo excepit, & à ſe ſumma comitate dimiſit frementibus hæreticis, quòd nihil neque blanditijs, neque terroribus proficerẽt. iram qua ratione poſſunt, effundunt, ſexcenta in eum mendacia pro ſuggeſtu cõgerunt, & omnibus probris, atque maledictis proſcindunt: re pater intellecta proxima concione cuiuſdam ex ijs templum ingreditur tacitus, & obſeruat multa, quæ pugnantia per ſummam inſcitiam contra Chriſti in Euchariſtia præſentiam euomit. Exempli gratia affirmauit initio Chriſtum in Cælum aſcendiſſe terris relictis, tum media concione probauit Chriſti corpus eſſe vbique locorum. vix finem dicendi fecerat, cum pater exurgens

modeſtiſſime poſtulat a præſẽtibus nobilibus, vt faciant vel nonnulla quærendi à parocho, vel cum eo diſputandi poteſtatem. vt ſunt ad res nouas proni mortales, facillime impetrat; cum præſertim ipſe concionator audaciã præferens alacriter annueret. Quærit igitur primo pater, num Chriſti corpus in Cælo fuerit antequam eo aſcenderet; aut poſtquam aſcendit, in terra remanſerit. negat vtrumque, & audacter, & irridendo vtrumque ſe etiam in ſuggeſtu negaſſe confirmat. tum pater ſtatim infert, ergo Chriſti corpus non fuit vbique, vt falsò populum pro concione docuiſti. hic ſubito tam aperta contrarietate fracti ſpiritus hominis, hæret, pallet, obmuteſcit, caput ad ſolutionem eliciendam confricat, demiſſis oculis, quaſi reſponſionem huius quæreret, tam diu conſiſtit, donec cachinnis nobilium, & ſibilis vniuerſi populi exploſus eſt. conuicit ea ratiocinatio concionatorem, ſed veram illationem ludi magiſter intellexit, qui propterea ſequendam eſſe catholicam religionem intulit, & profeſſus eſt. Acrior alibi inſtituta diſputatio. Comes quidam arte militari, pertinacia Caluiniſtica, truculentia morum inſignis, cum aliquando congrediendum ſuis eſſet cum Arrianis, interfuit Caluiniſtis de diſputatione ſecreto deliberantibus: animaduertit omnes diffidentes ſuæ cauſæ, nõ veritate niti, ſed mendacijs, captionibus, deprauatione volumi-

num,

num, ſortiri quodammodo quid in rebus etiam grauiſſimis affirment, negent, ſentiãt, qui deniquee ſtatuunt fugiendum eſſe congreſſum; ſi agimus, inquiunt, ſcripturis, Arrianis reſiſtere non poſſumus: ſi ſanctorum patrum vtamur auxilio, proſternemus Arrianorum ſententiam, ſed illi vitiſſim facile alijs eorundem patrum telis iugulabunt ſectam noſtram: Mirum in modum offenſus, atque commotus Comes, vix manus abſtinuit ab impoſtoribus. Sed ira diſſimulata ex templo in ſua oppidà rediit, quicquid vbique miniſtrorum erat, conuocauit in arcem, ibidem ſacerdotem vnum è Societate concluſit; interfuit, & præfuit diuturnis, atque grauiſſimis diſputationibus. de quibus ipſe fine tandem impoſito hanc tulit ſententiam: Gratias agite immortali Deo Reuerendi patres Ieſuitæ; apud vos reſidet antiqua, & Germana fides, illi ego me, meaque his omnibus teſtibus in præſentiæ deuoueo. orate Dominum, vt & prçteritos mihi errores ignoſcere, & ſuum diuinum lumen donare immerenti dignetur. Vos prædicantes nouam religionem non habetis, ſed effingitis quare niſi ab incœpto deſiſtitis, non modo vos in ditione mea non patiar, ſed ſumam debitam de impoſturis mihi factis vltionem. Conſenſere his verbis cætera. quare iam vix hominem inuenies, aut in affligenda hæreſi, aut in erigenda veritate fortiorem. Dum noſtri in ſpargendo

verbi

verbi Diuini ſemine publice priuatimque laborant, nouus Lutheranæ ſectæ Meſſias exurgit. Ruſticus quidam, quem mœror, aut inopia mente dimouerat, affirmat ſe prophetam delectum à Deo, vt orbem terræ euangelicam veritatem docendo obeat. Pater, qui eo loco rem Diuinam fecerat, opportune adit hominem, reperit lineo ſolum induſio tectum, humi ſuper nudum aſſerem ſubiecto ceruicibus lapide, rigentem frigore, diuturna inedia prope confectum, manus inſtar mortui iungentem; quippe qui prædicationis immemor ſibi paucas poſt horas è vita migrandum eſſe dicebat. pater adhibet omnes machinas, vt vel eum, vel parentes, quibus idem ille ſuaſerat, ab ea opinione dimoueat. ſed re infecta diſcedit. Interim momento increbreſcente fama certatim ad eum accurritur. qui delectatus frequentia, ſe excitat, vocem contendit, verba facit, iactat ſcripturas, multa vaticinatur, alijs æternum exitium, ſalutem alijs pollicetur, auditur cupidiſſime, & conclamatur Vicarius Dei, propheta. Id vbi delirus animaduertit, nequaquā ſibi intra domeſticos parietes vlterius latitandum putat, erumpit foras, pagos, oppida, vrbes procurſat, magna admiratione magnoque concurſu ſua deliramenta venditat, penetrat Comotouiam frequentiſſimo foro; incidit enim in ipſum hebdomadariæ nundinæ diē; aſcendit in locum editum, ea dicit, quæ expe-

ctari

Digitized by Google

ctari poterãt ab imparato, rudi, ruſtico, amente; nihil non fabulis, ſomnijs, inſaniæ ſimillimum. Nihilominus tamen, quod eſt longe admirabilisſimum, non modo auditur, probatur à plurimis; ſed commendatur vt præco veritatis à Cælo demiſſus. vſque eò vulgus leue eſt, & procliue ad res nouas præſertim in religione ſectandas. & excitaturus fuiſſet non contemnendum incendium, niſi noſtri occurriſſent ſubitò, & effeciſſent vt perditus abriperetur in carcerem.

# PROVINCIA RHENANA.

## Domicilia, atque Socij.

COLLEGIIS vndecim, vna Reſidentia, Miſsionibus duabus, ſocij trecenti quinquaginta circiter: Treueris quatuor & ſexaginta, è quibus quatuor & triginta verſantur in Collegio, reliqui in Domo probationis. Moguntiæ quatuor, & quinquaginta: Herbipoli ſeptem & quadraginta. Coloniæ quinque ſupra triginta: Fuldæ triginta: Herlingeſtādij

quin-

*quinque, & viginti. Spiræ vndeuiginti: vno minus Confluentiæ. Monaſterij ſexdecim. Paderbornæ quatuordecim. in Embricenſi Reſidentia nouem. Molshemium habuit primo ſocios ſeptem & viginti. exorto Argentinenſi tumultu diminutus numerus ad nouemdecim. ac denique vrbe ab hæreticis occupata noſtri omnes cum præſidiario milite (quæ fuit Dei prouidentia) incolumes egreſſi. deſertumq; Collegium. relictum ciuibus deſiderium Societatis, relictum militibus, neque enim illi vnquam in pace, neque hi inter arma aliquod à nobis pietatis, aut caritatis opus deſiderarũt, quod alteris preſtare pro noſtro inſtituto poſſemus. pro eo euulſo Collegio, iacta ſemina alterius, Embricæ nobili vrbe ad Rhenum in Ducatu Cliuienſi poſita. habuit ante paucos annos Gymnaſium ſtudioſis mille quingentis florentiſſimum, quod etiam ipſum in inferioris Germaniæ lapſu cecidit. illud vt iterum erigerent Cliuiæ Dux, vt eius Conſiliarij ſtatuerunt adminiculo Ieſuitarum vtendum, ex quo Societatis hominibus addixerunt. ipſa Noſtri aduentus fama tantus numerus diſcipulorum affluxerat, vt lectionum initia frequentiſſima haberemus, ſubodoratus eſt hoſtis humani generis, quantum ſibi ex hoc tyrocinio damnum immineret; ex quo per ſuos emiſſarios, finitimos, inquam, hæreticos, hos vno nomine extrema quæque minitatus eſt*

*Embri-*

Digitized by Google

Embricenſibus, annona, pecore, mercibus abigendis damna ita multa intulit, vt maximo dolore ciuium ad tempus publica munera nobis intermittenda fuerint, ſperamus lucem post tenebras. Socios quatuor mors eripuit. ſuffecit Deus in eorum locum quatuor & viginti. Colonia ſex magiſtros artium, vnum ſtudioſum. Moguntiæ quatuor, duos Monaſterium. ſingulos Treueris, atque Paderborna.

## Ab hæreſi, atque à Sæculo erepti.

TReueris velum Iudaicæ legis ereptum patri atque octenni filio. alijsque duobus Herbipoli. omnes de more vnda ſalutari perfuſi. Noſtra item opera ab hæreſi ad Eccleſiæ caſtra redierunt Coloniæ ſeptem, & viginti. Moguntiæ vno minus, inter eos quidā apprime doctus, qui annis viginti modo inter Caluiniſtas, modo inter Lutheranos prædicantis officio functus, tandem, & ipſe è Cardinalis Bellarmini ſcriptis expergefactus magno aliorum bono, maiore ſuo auitam religionem publice recepit, atque profeſſus eſt. Confluentiæ ſeptem, Treueris nouem, Spiræ duo de quadraginta. Heilingeſtadij duodeuiginti, inter quos ſeptuagenarius ſenex, qui annis quinq; & vi-

& viginti obſeſſus à Dæmone cum fruſtra omnes hereticorum prædicantes, atque miniſtros defatigaſſet; à ſuis ad nos adductus infinita Dei clementia primo ſtatim exorciſmo ab hoſte, atque ab errore liberatus eſt. Fuldæ nobilis adoleſcentes extranei quatuor: Elephantiaci octodecim. tam certus ſyllogiſmus ad eos conuincendos fuit ſedula caritas noſtri ſacerdotis; vt commoti ſint alij nobiles hæretici, & miſeros preter morem iuuerunt eleemoſynis. At vero ex inſidijs Aegypti in arcem religionis incluſerunt Confluentini virgines quatuor, Colonienſes capita octo; inter quæ puella nobilis ac prædiues ciuitatem in ſui admirationem rapuit. ibidem ad ſua caſtra reuocati quinque apoſtatæ deſertores.

## Congregationes.

TReueris ſodalitiũ Deiparæ Virginis tredecim monaſterijs diuerſis attribuit. Moguntino præfuerunt Bauari Principes Philippus, & Ferdinandus. multa fecerunt illuſtria, ne dicam omnia. nam è ſereniſſimis adoleſcentibus res ipſæ vulgares tãtum ſplendoris hauriebant, vt viderentur inſignes. ſæpe illi ſocios graui oratione ad vitæ, morumque integritatem hortati ſunt, ſæpius inuitarunt ad Crucis Eccleſiam. præibant pedites, totumq; tempus itineris, quod eſt vnius horæ

tribue-

Digitized by Google

tribuebant pſalmis, alijsque precibus alta vo-
ce recitandis. in ipſo templo rem ſacram au-
diebant, mox litanias, & alias orationes de-
cantabant, cum ex ara ſuſpendebant munus
magni precij cum votiuo carmine eleganter à
ſe deſcripto. In die Cœnæ Domini duodecim
pauperibus ſuis manibus abluerunt pedes, pa-
rarunt conuiuium miniſtrarunt edentibus,
& donarunt luculentam eleemoſinam. Dum
Vormatienſis Epiſcopus ſacroſanctam Eucha-
riſtiam in eius die feſto circũferret proſequuti
ſunt ad eius latera precioſas ex auro textili
pluuiales induti, quæ res quoniam hic raro
ſunt, in adoleſcentibus præſertim ita illuſtri-
bus plurimum valent ad decus religionis, ad
nobilium incitamentum, ad documentum po-
pulorum. feliciter D.O.M, ſibi, & Eccleſiæ
tam præclaram ſobolem tanto patre digniſ-
ſimam.

## Scholæ literariæ, & Catechiſticæ.

HIc rurſus ijdem bini Principes occurrũt,
qui vt ſcientiam habeant pietati non
imparem toto prope modum anno ſunt vſi no-
bis preceptoribus. aſſiduitate frequentandi
ſcholas audiendi, excipiendi, reddendi memo-
riter, græce, latineque ſcribendi, ac denique
Gym-

Gymnaſij legum obſeruatione gregalibus diſcipulis eſſe voluerũt ſimillimi. ſed hanc ipſã ob cauſam extra numerum fuerunt & inſignes. Monaſterij cenſa capita diſcipulorum mille centum viginti. Treueris mille; Curatũ vt dicta ſeminamus tẽporalia, metamus æterna: ex quo multi dum literas docentur, dedocentur hęreſim. diſcipulis cum literis inſtillata pietas, & veræ religionis amor. quam quidam vt tuerentur bonorum expoliationem, & verbera, & vexationes paſſi, quę ſilentio prętereunda non eſſent, niſi potius pertinerent ad eorum laudem, quam ad Societatem. Adiuti etiam pueri teneriores explicatione doctrinæ chriſtianæ. Spiræ ſcholis quinque. ad eam Fuldæ cum cætera non valerent, inuitati munuſculis gratioribus ętati, pilis palmaribus, globulis, & alijs ludendi inſtrumentis, cumque illo deeſſent vacciniis, & per elegantibus faſciculis florum ex proxima ſylua collectis. hæc tantam vim habuerunt, vt etiam filios hæreticorum pertraxerint. ex quo factus eorum anteſignans notiſſimi Lutherani filius, qui ſecum modo quindecim, modo viginti alios adducit eo maiore admiratione omnium, quo notior eſt parentis alienatio à nobis, & à fide noſtra. Deus qui infirma mundi elegit, vt fortia quæque confundat, hoc paruo ſemine ſuam interdum veritatem inducit in familias hæreticas. ipſe facit, vt parentes alioqui infenſiſſimi

inuo-

Digitized by Google

*iucundis cælitibus Paderbornæ lætentur, cũ filios, qui inſtituuntur à nobis, ante quam eant cubitum, litanias recitantes audiunt: Vt Herbipoli ijdem cum perperam iurant, aut blaſphemant, bonam in partem accipiant, ſi ab ijs aliquo exemplo de illius errati nequitia doceantur: vt vbique non dedignentur proponi ab eis argumenta pro religione orthodoxa; atque defendi mordicus, etiã cum lachrymis.*

## Miſſiones.

*VArijs excurſionibus Moguntini, atq; Herbipolenſes luſtrarunt vicina oppida. Heilingeſtadienſes pagos duodecim. ibi in monte Adiutorij (loci nomen eſt) noſter aduentus magna populi frequentia, maiore vtilitate celebratus eſt. Lutheranus templum ingreſſus, & ſuffuratus fulcrum ex ijs, quæ pro valetudine, vel recuperata, vel recuperanda ex voto relinquuntur à fidelibus claudicantem imitatus rediijt in popinam querens, & eiulans contra catholicos, quod ſanus in montem aſcendiſſet, reuerteretur claudus. ſed non diu claudicauit, nam excitato tumultu, ſubito quaſi exortus ad eum puniendum eſſet, occiſus à ſuis interijt. luſtrarunt etiam Treueris pagos decem, & oppida nonnulla. In quodam ad linguæ lapſus corrigendos vtiliter propoſitum à Noſtris, atque receptum à ruſticis, vt*

K qui-

quicunque iurarent, blaſphemarent, detrahe-
rent, ſi ditiores eſſent multam pecuniariam
inferrent in ærarium ob id ipſum in tẽplo con-
ſtitutum: ſi tenuiores certas in eodẽ loco pre-
ces recitarent. Inter Erfordienſes, & Hilde-
ſianos bini ſacerdotes verſati pro conſeruandis
reliquijs catholicorum, quæ, quamuis ad eos
acceſſerint hoc anno ſex, & viginti, tamẽ mul
to pluribus morte decedentibus, quotidie ma-
gis atteruntur. Ex ijs adoleſcens parentem
lutheranum interrogauit, poſſet ne catholicè
confiteri, atque communicare. per me, reſpon-
dit, id tibi licet. cum non omnes illi damnati
ſint, qui ante nos ideo olim factitarunt. Cõtra
vero lutherana mulier adoleſcentem à ſe de
baptiſmo ſuſceptum omnibus vſa eſt artibus,
donec à fide catholica deturbaret. vix perfe-
cit opus, cum ipſa deturbata de ſuprema do-
mus contignatione fractis ceruicibus ruina
corporis, atque animi mercedem à dæmone
recepit. Ad explicandum quas ibi curas, quæ
munera noſtri homines obierint, ſatis erit re-
cenſere ſolos fuiſſe præſidio catholicorum in-
ter hæreticos, quorum petulantia vſq; eo pro
greditur; vt in ſolemni ſupplicatione ſerta de
virginum capitibus detrahant. quamuis com
presſi nonnulli; nam cereæ faces, dum in eas
petulanter inſufflant, repente ad os admotæ
dicto citius, & prolixas eorũ barbas, & ipsã
comam auidisſimè deuorarunt: ex quo flam-
mas,

Digitized by Google

*mas, quas conabantur extinguere, ſuis ipſi capitibus auxerunt, neue ſe ambuſtos magis exponerent riſui, & ſibilis omnium, in vltos cooperto capite celerrime ſubtraxerunt. Peius habiti duo prædicantes, qui nocturno tempore pro Ieſuitis habiti, cum neque negando, neque iurando quicquam proficerent, à ſuis male accepti fuſtibus, ac pene lapidibus obruti ſunt. ægerrimè tulerunt huiuſmodi vicaria verbera. & fortaſſe æquiores facti, cum ſint ipſi experti, quæ Ieſuitis exoptant.*

## Liberalitas in Societatem.

*HEilingeſtadij ad Collegium nõ ignobilis bibliotheca optimi viri teſtamento, & taleri ſexcenti munere duarum matronarum adiecti ſunt. Epiſcopus imperij princeps monaſterium, quod multos ante annos vacuum in nobilium poteſtatem venerat, aliquot aureorum millibus redemit, & in Collegij vſum noſtris Paderbornenſibus attribuit. Fabrica collegij Monaſterienſis non ſine diuino patrocinio creſcit inter ſexcentas aduerſitates. hinc Cænobiarca litem de loci finibus intentat. inde hæretici cæmenta prohibent, & minis conuectores abſterrent. alij mendacijs amicorum animos à nobis auertunt, alij exorto incendio, quo domus amplius trecentæ conflagarunt inutilem impenſam gymnaſij conuertendam*

*aſſerunt ad reſarcienda detrimenta flammarum. ſed ope Dei, qui facit de tenebris lucem ſplendeſcere, tantum pecuniæ collatum eſt ad perficiendam ſtructuram, vt opus extolli videatur conatibus aduerſariorum. inſigniter Princeps, & Archiepiſcopus Treuirenſis, quippe Collegij fundator, & parens quo tempore Confluentiæ permanſit omnibus nos officijs, & beneuolētiæ ſignis proſecutus eſt. præter ſumptus ad domum extruendam neceſſarios, templo periſtromata, veſtes, aliaque ſacra inſtrumenta, & multa, & magni precij tribuit. Collegio donauit villam vicinitate, & præter fluentis Moſellæ ripis non minus commodam, quam amœnam. Pro nobis Chriſtus debitam gratiam rependat tot benefactoribus, quorum liberalitate nos ad relinquendas cogitationes rerum temporalium, & ad ſolam perfectionem ſequendam excitat.*

PRO-

Digitized by Google

# PROVINCIA TOLETANA.

## Scholæ & Congregationes.

*EX auditoribus Belmontani Collegij ſex amplexi ſunt noſtrum viuendi inſtitutum, tres è ſodalibus Madritanis. Mirum in modum illi Sodalitio promouendo conducit zelus animarum, qui in magiſtris elucet. in nouam quandam decuriam, ſic illi nominant, aptiſſimum quemquam diſcipulum ſeligunt. vacuis diebus, certo tempore, in proprijs claſſibus conueniunt: pia lectione, ſanctorum exemplis, repetitione cõcionis auditæ, ſermonibus de virtute, ita erudiũt ad Congregationem, vt hinc ad eam, quaſi ex quodam eius tyrocinio, aut veſtibulo valde expoliti trãſeant. Talabricæ hoc anno in Congregationem Deiparæ Virginis externis etiã hominibus factus eſt aditus, qui tantum patebat noſtris auditoribus. adiere è prima nobilitate viri. Canonici prope omnes. ipſe Archiepiſcopi Vicarius tanto impetu ad pietatẽ, vt hic & nouũ, & admirabile fuerit ſpectare Vicarium, Decanum, aliumque virum nobilẽ*

*& Senatorem ſtipem pro vinctis hoſtiatim corrogantes. Toleti pariter propter multitudinem, Congregatio in duas quaſi claſſes diuidenda fuit: nouamque conſtituunt frequentes vrbanæ Academiæ auditores.*

## Facta pro ſalute animarum.

S*Pectra nocturna mirum in modum vexabant hominem; putabat ſe Deo exoſum, & iam prope Dæmoni traditum: impatiens doloris, quo ſe eriperet ſaltem ex huius vitæ moleſtijs, iter cæpit ad turrem altiſſimam, vt ex ea præcipitem ſe daret in Tagum, qui ſubterfluit. prope erat præcipitium, cum preſto fuit elegantiſſimus puerulus qui verbis amantiſſimis molliuit impetum, docuit de errore, mentem inſolito lumine, pectus dulcedine noua compleuit: tum ex oculis euanuit. non ita multo poſt eadem reuoluentem animo reuocauit Virgo Deipara cuius ædem frequẽtabat, fecitque vt Talabricam accederet ad noſtrum ſacerdotem, atque ex eius conſilijs acciperet conſtantem quietem, & perfectam animi ſanitatem. Miſit Deus Murcia duos ſacerdotes in villam ſuburbanam. inciderunt in fæminam pauperrimam ſeminecem, quæ cum geſtaret vterum, ſtatim effudit filium. vix baptizatus deceſſit è vita. expiratura mater quoque fuiſſet, ni ijdem confirmaſſent miſellæ cibo*

corpus,

corpus, & ſacramentis animam. Agendum ſedulo fuit, vt Carabacæ filiæ quatuor abducerētur à cura dicam, an à proditione matris, quæ è proſtituto illarum corpore aperiebat officinam impudicitiæ. At vero Madridij elaborandum, vt totidem Mahometani memorandæ, & per nullos expugnatæ peruicaciç ante capitale ſupplicium chriſtiani fierent, & corporis iactura lucrarentur animum.

## Temporalia quædam incrementa.

TEmplo Ocananienſi donata Lycnus penſilis, candelabra quatuor ex argento. Anguſtiæ domicilij Oropeſani laxatæ cubiculis duobus, & triginta. Abſolutum eſt templum Sicuranum. Carabacēſe Collegium erat in loco ſine aqua anguſto, ita natura clauſo vt latius explicari non poſſet, vicinum templo cuidam, cuius campanæ importuno, atque abſono ſtrepitu omnes fere noſtras exercitationes turbabant, vt moleſtiſſimè medias interdum conciones abrumperent. parua res in ſpeciem, ſed omnino magnç difficultatis: migrauit tandem in locum ampliorem, ſalubriorem, quem pari vtilitate, & voluptate interfluit copioſæ aquæ riuus, & habet proſpectū in amœniſſimos campos.



Digitized by Google

# PROVINCIA CASTELLANA.

## Sociorum numerus.

*CAſtellana Prouincia complectitur loca uiginti. omnia Collegia, præter Domos Valliſoletanam, Medinenſem, Villagarſienſem. illa Profeſſorum, hæ Tyronum. Socios vndecim ſupra quingentos. Valliſoletum tres habet ac ſeptuaginta. in Profeſsis vnde quadraginta. In Collegio quatuor, & triginta. Salamantica vnum, & quinquaginta, Burgi quinque, & triginta. Mons regalis duo de triginta, Valentia, & Compoſtella tricenos. Medina vnde triginta. Legio duo de triginta. Lucronium, & Ouetum vicenos ſenos. duo minus Numantia, Villagarzia, & Segobia vicenos quinos, Abula duos, & viginti. Pompeiopolis ſexdecim. Omnata, Bellimarium, Seminarium Anglicanum ſingula denos, Areualum nouem. Quieuerunt in Domino viginti. Duo minus in Societatem admiſsi.*



Digitized by Google

# Auxilia ſpiritus, atq; corporis collata erga proximos.

*Valliſoleti Magiſtratus fecit ampliorem, atque certiorem charitatis exercendæ materiam; cum ſtatuit, vt ad confirmandos eos, qui mortem iudicio ſubituri ſunt, nullus præter Societatis homines accedat. Ex his vnus ita pertinaciter animum obdurauerat contra ſacramenta ad mortem impiam, ad æternum animi interitum; egregia vero opera noſtri Profeſsi, ita inſigniter immutatus eſt ad pœnam ex optandam, ad eius inſtrumenta deoſculanda; ad laqueum pro monili ducendum; vt factum illud dignum commemoratione reddiderit. E Collegio Pater effecit, vt quidam ſuam animam liberaret onere æris alieni mille aureorum. Dæmon indutus hominem nouem annos coram, & pro palam omnes adhibuit artes, vim, ſuaſiones, inſidias; vt quendã reuocaret à voto caſtitatis, quod nuncupauerat: tum demum abiecta ſpe vincendi, ſoluit obſidionem, neque eſt vnquam viſus amplius, cum ille ſe penitus in diſciplinam confeſſarij tradidit quem in Medinenſi domo Tyronum elegerat.*

*Magnus vbique concurſus ad audiendã Sanctorum exempla, magnæ ex eo vtilitates:*

*æquè*

æquè afficiunt rudes, ac literatos, hebetes, atque ingenioſos: quæ documenta percipiuntur ab ijs, quoniam hiſtoriæ alligata ſunt, memoriç, & facile, & ſemper occurrunt. ſucceſſerunt inſigniter Segobię, Omnatæ, Pompeiopoli; vbi poſt eorum narrationem ſuaui concentu decantabatur pſalmus Dauidis, hunc excipiebat à plurimis ſponte ſuſcepta verberatio acerrima. quæ animos audientium vehementer excitabat ad pœnitentiam, & diuinas aures, vt pium eſt credere, ad miſericordiam.

Salamanticæ quatuor homines, quorum nobis innocentia conſtabat, falſo accuſati de latrocinio, capitis periculum ſubibant in carcere. data eſt opera, vt vinculis, & infamià liberarentur. Valliſoleti morborum grauitas, atque frequentià fecit, vt vno die luſtranda fuerint ſexaginta interdum Domicilia decumbentium.

## Scholæ & Congregationes.

Legione cæptus hoc anno curſus Philoſophicus. idem Burgis inſtitutus, & reuocata ſchola Theologica, quæ ſuperioribus annis intermiſſa fuerat. Humaniores literæ Põpeiopoli quadringentos habent auditores. in Monteregalenſi octingentos.

Valliſoleti factum eſt, vt Congregatio ſodales

*les Deiparæ Virginis amplecteretur inertes homines vagantes paſſim, & errantes, quorũ ingens eſt in hac ciuitate multitudo. curant vt tempore Paſchatis crimina expient, ſanctum Chriſti corpus ſuſcipiant; feſtis diebus rem ſacram audiant, alternis hebdomadis Domi noſtræ conueniant, vbi de munere Chriſtiano docetur. hæc iam propria eſt ipſorum prouincia. Iidem cœtum inſtituerunt ex omnibus Fiſci Regij aduocatis, cuius illud eſt munus præcipuum, vt annonam retentis in cuſtodia publica ſuppeditent, id quod bini quotidie miro ordine, miraque charitate perficiunt.*

## Philippi Regis voluntas in Societatem.

*CVm Rex eſſet Valliſoleti ad nos venit perhumaniter, rei ſacræ voluit inter eſſe, dum noſtro more decantaretur. cupide templi molem, concinnitatem, & ornatum inſpexit; ex eorum contemplatione voluptatem, & cepit, & verbis teſtatus eſt amantiſſimis. Hyberni plurimi ex paternis fluctibus hæreſum ſe Valliſoletum receperant, vt ibi tanquam in quodam fidei portu, religionis veræ tranquillitate perfruerẽtur; ſed preſſi rerum omnium inopia miſerè vagabantur. cogitauit Rex de ijs cogendis, atque fouendis, & ſocietatem indica-*



Digitized by Google

dicauit habituram eſſe parem muneri charitatem, atque prudentiam. ex quo de P. Prouincialis conſilio Collegium erectum Salamanticæ, cui noſtri ſic præſunt per rectores, atque gubernatores externos; vt omnia ſuo conſilio, atque auctoritate moderentur: nulli tamen cũ ijs habitent, nullamque procurationem rerum temporalium ſuſceperint. Optauit quoque Rex, & vehementer optauit corrigere quandam ditionis ſuæ Prouinciam, cuius homines erant & corruptis valde moribus & idoneis paſtoribus deſtituti. vt in re difficili diu conſultatum de remedijs. tria tandem ſtatuit: ex ijs duo de promenda ex officina Societatis. nã poſt quam iuerit in Prouinciam fortis Præſes, atq; ſeuerus, qui grauitate ſuppliciorum compeſcat peccandi licentiam: duodecim è noſtris Patribus per diuerſa regionis oppida partiendi ſunt, qui plebem euangelica doctrina excolant: tum erigendum Collegium, in quo iuuentus virtutibus erudita, atque literis, Epiſcopo ſuppeditet idoneos Parochos, atque Præſides. Hæc nos vrgere debent ad ea paranda præſidia humilitatis, charitatis, aliarum virtutum, quibus reſpõdere poſſimus opinioni, quam de nobis homines conceperunt.

Miſ-

Digitized by Google

# Miſſiones.

Ex omnibus prope Collegijs excurſiones factę ad oppida pagos, mõtes proximos: in quibus tradenda Chriſtiana ſcientia, docenda virtute, vitijs dedocendis obita ſolita miſſionum munera, ſolitique labores. conſecutus eſt pro Dei clementia fructus non pænitẽdus. inſignes fuerunt Valliſoletani, Lucronenſes, Legionenſes, Ouetani, Pompeiopolitani, Numantini, Monregalenſes, Compoſtellani.

Palentia miſſi Sacerdotes ad vicinos populos religionis præceptis inſtituendos. ex his vnus, cum ab alio in aliud certum oppidum concionis cauſa tranſiret, ſuo errore viæ, teſtatus eſt prouidentiæ Diuinæ magnitudinem: cum enim longiſſime aberraret, inuentus eſt ab homine, qui vt eum ſacerdotem eſſe cognouit aduola, inquit, cæleſtis Angele miſſe à Deo, vt ante quam egrediatur à corpore animũ morientis fœminę reconcilies. erat hæc meretrix, vehebatur uia aſperrima, tempore pluuio, cum militibus; reuoluto curru, caſu traiecta telo in terram decidit, ibique relicta extremum ſpiritum reſeruauit ad gratiam peccatorum pænitentiæ beneficio recipiendam. qua peracta intimo ſenſu pietatis ſtatim, Vale patri, vitæque dixit. & obijt. idemque ſacerdos eandem opem, non ita multo poſt, alteri miſero at-

ro attulit, qui cornu tauri transfoſſus iacebat expectans à Deo adiumentum animi, atque corporis. Oppidum quoddam nomine Betanzos, ita inteſtinis gliſcebat odijs, ita diuiſum erat in factiones varias, vt identidem iretur ad arma, & quoddam ciuile bellum expectaretur, alterius partis internecione finiendum. Prætor alijs remedijs omnibus fruſtra tẽtatis, Compoſtella ſacerdotem Societatis accerſit. eius prudentia, ſermonibus, exemplo concidit omnis furor, omnia in optatam pacem, & beneuolentiam coaluerunt.

## Munera data Templis, & Collegijs.

DOmina Magdalena de Vlloa eximiæ liberalitatis fęmina, cũ perſpiceret ab eiuſmodi excurſionibus, quam vberes manipuli reportarentur, non contenta binis Collegijs, quę ſua eximia pietate, atque liberalitate fundauit, mouit omnem lapidem vt Villagarziæ cenſum annuum conſtitueret aureorum ſexcentorum ad ſacerdotes duodecim in hoc munus alendos. quod cum illi concedi non poſſet nihilominus vt aliqua ex parte ſatis fieret tã pie voluntati matronæ de nobis optime meritæ; hoc ipſo anno miſſi qui hanc obirent prouinciam, ideo ſunt conſecuti fructus vberrimi,

mi, quia regio horrida eſt, inculta, ac prope barbara. hoc diſcrepant fruges cæleſtes à cæteris. Eadem Villagarziæ fundatrix Collegij bienno illud liberauit ære alieno quatuor millium aureorum. elargita templo eſt crucem argenteam magni ponderis in aræ principis vſum, duas præterea veſtes altarium, auro contextas, nec non ſericum pannum, acu diligenter, atque preciosè depictum; opus valde ſuſpiciendum, Neque vnius, & alterius loci finibus terminatur eius munificentia. abſoluit hoc anno ſtructuram, quam cæperat Oueti refectorio, aulis, officinis, duobus, & triginta cubiculis, omnibus denique numeris perfectiſſimam. Burgis lycnus argenteus coemptus precio centum, & triginta aureorum. Parochus quidam noſtro nomini olim infenſiſſimus nobis prædia legauit aureorum trecẽtorum. Segobienſi templo perficiendo donati ſunt aurei ducenti, totidem ſacris altaribus exornandis. Legionenſis Epiſcopus Collegio ſacerdocium centum aureorum perpetuo addixit. Ciues Lucronenſes ædificium promouerunt eleemoſyna trium millium aureorum. ad ſacrum pluteum cuiuſdam Sacelli Valliſoleti perficiendum donati ſunt aurei nongenti. ad aliud centum quinquaginta.

Colle-

Digitized by Google

# Collegium Anglicanum.

IN Valleſoletano Anglorum Collegio im poſitum ædi faſtigiũ numerauimus Alumnos ſex, & quinquaginta. difficultates, labores, pericula, quibus egreſſi de Vr Chaldeorũ, dant illis perpetuum narrationis argumentum, nobis maximũ admirationis quis enim non retineatur, cum præſentes inſpiciat patrem, ac geminos filios, alterum annorum quatuordecim, alterum quindecim, vtrumque delicatiſſimum, atque elegantiſſimum, eoſque cum lacrymis narrantes audiat, quemadmodum propter Chriſti nomen deſtituti à conſanguineis, proditi ab amicis, direptis fortunis domeſticis, rebus omnibus amiſſis, ne religionem quoque catholicam perderent. coacti ſunt matrem amantiſſimam deſerere in vinculis, accipere pro beneficio nocturnã fugam à Patria: & quo tuto traijcere poſſent Oceanum, vt fuerit illis peragranda tota fere Anglia, longiſſimo tractu diuertendum in Hyberniã nudis pedibus, ſine veſte, ſine duce, ſine comite (aderat præſentior Deus) inter ſexcenta pericula beſtiarum, fluminum, graſſatorum, afflictis fame, laſſitudine; vt ſæpe quamuis defeſſo Patri, filij ſubleuãdi fuerint in humeros; & filijs interdum regenda fuerit Patris pro labentis imbecillitas. vix inter audiendum

tempores

temperes à lacrymis. hi nunc viuunt in Collegio; magnam habent ad pietatem, & ad litteras indolem. Per honorificus fuit Compoſtellani Archiepiſcopi aduentus: illuſtris apparatus, quo eſt exceptus. Vtrumque tamen Rex obſcurauit, qui inſolita ſignificatione beneuolentiæ, cum filijs præſens alumnos inuiſit, exceptus eſt quàm accuratiſſimo apparatu ingeniorum, orationum, linguarum, carminum, inſignium, Emblematum, hyeroglificorum. diſceſſit ita contentus; vt quæ de Anglicana indole exceperat auribus iam ipſe teſtis oculatus teſtificetur alijs. Ex his quatuordecim duce P. Perſonio ad nouam Coloniam conſtituendam profecti ſunt Hiſpalim, quo loco aliud erigendum eſt illi genti Seminarium. Quatuor tranſmiſerunt in Angliam ad fidem prædicandam, & ad martyrium conſequendum. voluit eos Rex prius alloqui, & verbis animare ad fortitudinem, quod & fecit: ſed vnus aliorum nomine meditata oratione ita reſpondit, ut Regi, & omnibus quotquot aderant vberes lacrymas elicuerit.

# PROVINCIA BAETICA.

Habet hæc Prouincia ſocios quadringentos quinquaginta ſex, diuiſos in Domicilia quatuordecim. Hiſpali in Profeſſus nouẽ ſupra quinquaginta. in Scholaſticis ſeptem & ſexaginta. In Collegio Cordubenſi duo de ſeptuaginta. in Montellano tres & ſexaginta. in Granatenſi ſex & quinquaginta. in Triguerenſi quatuor, & viginti. in Baezano, & Malacitano viceni bini. in Gaditano viginti. in Marzenenſi ſeptemdecim. in Terenſi quindecim. Ezzizæ vndecim. Cazorlę ſeptem. Vbedę quinque. hæ tres poſtremæ ſunt Reſidentiæ. Ad literas octo, ad functiones domeſticas duplo plures admiſimus. Vita functi decem; inter quos Michael Regius, tum pietate, tum amore in Societatem inſignis. decennium cum lacrymis inſtitit, vt admitteretur, non fractus repulſis, non aduerſante voluntate omnium. dicebat ſtatutum eſſe à Deo, vt cunctis reluctantibus præter omnium ſpem ſibi importunitas aditum patefaceret in Societatem; quod & fecit.

An-

# Auxilia proximorum.

CHriſtiana catecheſis vbiq; ex voto procedit. Hiſpali initur agmen interdum capitum amplius ſexcentorum, honeſtiſſimi cuiuſque ordinis, qui ſummam fidei, cæteraque religionis Chriſtianæ precepta tanta pietate decantant; vt eo ſpectaculo, & mirentur, & excitentur cæteri ciues.

Palearia ſunt ad vrbem ſecundum Betim, in quæ miſeri homines etiam tecti inopes cubitum eunt. ex ijs plurimi defecti viribus, cũ prodire neque ad ſtipem corrogandam poſsint, viuẽtes fiunt eſca vermium, nulla victus, nulla ſalutis, nulla ſacrorum ope, more beſtiarũ intereunt. hæc noſtri frequenter obeunt. cum ibi ſæpius offenderint non paucos famæ, ſitiq; enectos, ſquallore obſitos, odore teterrimos, interdum putreſcentes moribundos, & multa ſanie manantes, vt ad eorum conſpectum omnes per horreſcant, hos qua inter manus, qua ſublatos in humeros, in publica valitudinaria deportarunt.

Viri nobiles Cordubæ, dum de more vrbem obequitant, forum prætereunt, in quo concionabatur vnus è noſtris. conſiſtit alter, atque Deo ita prouidente non retrahitur à comite obijciente nimiam sãctimoniam, leges aulicas, incitante equum: dumque attentius excipit

auribus concionem vniuerſam, Deum totis medullis imbibit: inde recta iter ad Noſtros arripit, manantibus lacrymis ſe ad pedes abijcit ſacerdotis, qui primus occurrit, vitam corrigit, neque ita multo poſt in ſeueriore diſciplina monachum induit. Sedatæ inimicitiæ multæ inter viros primarios odijs inueteratis implacabilibus. eæ nobiles. Malacæ inter Prætoris filium, virumque principem. Cordubæ inter dynaſtam, & Prętorem, qui abibat è magiſtratu. malum irrigatum mutuis vulneribus, & ſanguine virorum principum multas tuliſſet cædes, niſi maturè compreſſũ eſſet à noſtris. Hiſpali ad matrimonium ritè obeundum inducti nonnulli. Duo viri præcipui, qui ea ſpe puellis nobilibus pudicitiæ florem ademerant. Alius, qui viginti annos in pellicatu vixerat.

A Terenſibus duo ab Anglicana labe ad eccleſię Romanæ puritatem adducti.

Hi erepti à peccati catenis. Illi à mũdi vinculis translati ad Chriſti compedes, aut potius in libertatem filiorum Dei. Ex Hiſpalenſi Collegio in noſtram tres, in alias familias circiter ſeptuaginta ex Cordubenſi quinq; in noſtram, in alias decem. Ex Granatenſi ſex, è Terenſi duo in Societatem. Ex Montellano octo in alias.

Carceres

## Carceres Triremes.

*Ex omnibus prope noſtris Collegijs profe-cti ad carceres captiuorum leuauere mi-ſeriam, ſolatio, conſilio, eleemoſynis, ope. Cor-dubæ ſacerdos noſter ægros offendit, quibus e-rat pro lecto nudum ſolum, omnia deerant ad-iumenta, vel corporis vel animi. iacebat ca-dauer, cui viuenti ſacramenta, mortuo ſepul-tura deerat: re cum magiſtratu communicata valetudinarium intra cancellos inſtituit com modo pari animorum, atque corporum.*

*Vbique proſecuti, eos quos carnifex agebat ad patibulum. multi adiuti, qui deſperata vi-tæ mortalis vſura ſpernebant æternam. inter hos Hiſpali quidam nobilis facinoribus ita fe-roci erat ingenio, vt pro nugis haberet la-queũ, ardenteſque forcipes, quibus erat excar-nificandus, infernos vero cruciatus, qui mor-tem conſequuntur, haberet omnino pro ridicu-lis: eum Sacerdos è noſtris ita mutauit; vt ali-quando productus ante iudicem. ego vero, di-xerit, quiddam habeo, quod ſummi beneficij lo-co vehementer efflagitem, & homini hoc ſta-tu, hoc tempore non videatur deneganduũ. tum Iudex, expoſce, quod velis, ſi per me licebit impetrabis, hic ille erumpentibus vbertime lacrymis: hoc vnum, vt ardentius me lacerari forcipe iubeas, non tam vt fugiam cruciatus*

æternos, quos non audeo ducere commiſſis erroribus pares, quàm vt Dei gratiam promerear, & meum corpus, quo vſque adeo Deum offendi, Deo perſoluat aliquid, & minus animum in extremo die Iudicij erubeſcat. hæc ita protulit, vt appareret non eum fractum timore mortis imminentis, ſed illuſtratum à Deo; diuino ſenſu magnum illum ardorem animi conuertiſſe ad cœleſtia, vt lacrymas extorſerit omnibus quotquot aderant tantam mutationem nō ſine magna Dei laude admirātibus.

A Malacitanis nauata opera triremibus, quo vno loco omnia opera miſericordiæ exercenda reperias in deſertum, ac plane miſerandum genus hominum. nauata à Gaditanis, cum eo claſſis appulit vehementer afflicta, multorum ægris corporibus, plurimorum animis. nauata à Terenſibus ſpatio quinque menſium, à quibus etiam curatum eſt, vt dimitterentur ij, qui per fraudem detinebantur contra iuſtitiam.

## Scholæ, Miſſiones.

SCholæ procedunt in dies. Marzenæ, quod non caperent auditores, laxandæ fuerunt tum publico ære, tum eleemoſynis priuatorū hominum. Hiſpalis hoc anno Moralia, Græcas, atque Hebræas litteras inſtituit. Cordubæ numerat octingētos. certat pietas auditorum

cum

tum ſedulitate præceptorum, nã præter communia officia charitatis in pauperes præter conſuetas corporis afflictiones, toto prope anno trinis diebus headomadæ cum alijs ciuibus honeſtę conditionis voluntaria flagella ad corpus edomandum ſubeunt.

Excurſum in varia loca à proximis domicilijs. ab Hiſpalenſibus Profeſsis in pagos vicinos. Triguri in agrum Ardeualenſem. montoſa regio, atque ſylueſtris oppida habet raris aſperſa domicilijs, habitatores plane barbaros: id fecit, vt vehementer, & cum fructu laboratum ſit in eis ad humanitatem, & pietatem erudiendis.

Corduba, Mõtella, Baeza, Cathazorla in vicina oppida. Fœdum parenti crimen oblati ſibi per fraudem vitij, cæca furore filia, delato nomine ad iudicem affinxit: illius dignitatem in certum dedecus, caput in ſummum periculum adduxerat. noſtri Baezani eam ita oratione permouerunt, vt reuocauerit accuſationem, ſeque afficti mendacij ream prodiderit. Iidem a Mahomethe ad Baptiſmũ, & à pelicatu ad verum matrimonium adduxerunt fæminas duas, quæ oriundæ à Mauris gerebant christianum tantum ſpeciem, ac nomen. A Malacitanis itum ad vrbem Marbellam, & ad Melillam arcem; quæ ad mare contra Mauritaniam ſita eſt: annos quatuordecim diuino verbo caruerant, quare ex maurorum conſue-

tudine; familiaritate, habitatione prope degenerauerant in ethnicos. hinc ſatis patet, quam multæ iis vtilitates allatæ, quanti pro iis ſuſcepti labores. non tempus neceſſariæ quieti, non refectioni conceſſum: diu, noctuque miniſtratum quicquid pertinet ad Eccleſiã & Dei beneficio ipſis frequentibus percupidis, & quaſi aridum ſolum quicquid immitteretur diuini liquoris auide imbibentibus, quæ ſunt effecta eo videntur magis admirabilia, quo illi egetiores, & ab omni genere vitiorum extrahendi, informandique fuerunt ipſis primis fidei noſtræ præceptis. illud certe non eſt omnino prætereundum. Mauri ſex additi Chriſto; inter hos puella vix annorum tredecim in ſexu, & ætate imbecilliore fuit illuſtrior. re cognita parentes, qui dederãt Prefecto obſidem, eo celeriter naui conſcenſa aduolauerunt. omnes artes adhibitæ, blanditiæ, promiſſa, munera, minæ, lacrimæ, ſquallor, eiulatus. quæ in tanta re ad permouendum animum excogitare poterat parentum amor addita rationes, argumenta, perſuaſiones; ſecum enim ob id ipsũ adduxerant Maurum legis ac diſſuadendi peritum ex iis, quos Caciques vocant. nihil effecerunt, nam præ ſe tulit conſtantiam verè chriſtianam, iiſque fortiſſimè dimiſſis, tanquam alienis, vel incognitis, chriſtiana ſacra ſuſcepit.

## Eleemoſynæ factæ Societati.

DOmeſticis Profeſſorum vſibus præter certas eleemoſynas partim donati, partim legati aurei mille ducenti. Bona, quibus ſacrũ eorundem inſtrumentum auctũ eſt aureis quingentis æſtimes; quibus Malecitanum ſexcentis, quibus Cordubenſe mille ducentis; ijs præterea dati trecenti in Bibliothecam. Montellæ quidam quinque aureorum millia extruendo Collegio ſpopondit. Baezæ, cum transferendũ, atque ædificandum ſit Collegium in area, quã loco illuſtriore, atque frequentiore coemimus, ciuitas nullo prorſus abnuente, quod admirabile eſt in tanta multitudine ciuium nobis viã publicam tranſuerſam, & magnam muri continentis partem liberaliſſime conceſſit. Ecijæ quoque ad inchoandam ſcholarum fabricam Senatus elargitus eſt aureos octingentos. Cenſibus annuis additi aurei treceneni, quos confecimus ex mille, qui ad nos teſtamento hominis amici venerunt; & ex fructu vectigalium agrorum, quos nobis in quinquennium prorogauit ciuitas.

## Anglicanum Collegium.

VTerque virorum principum ordo eccleſiaſticus, & ſecularis, quem appellant, amplexus eſt pro viribus Collegium Anglicanum

canum, & ſua ſpõte, & propter litteras, quibus illud Rex vehementer ſingulis, & vniuerſis commendauerat. Sæcularis Senatus ædes trecentenis aureis conduxit, viros quatuor primarios deſignauit, qui ad eleemoſynas pro eo cogendas vrbem vniuerſam obeant, & ſingulos in propria tecta ciues adeant. Capitulũ mille quingentos attribuit: ſatiſque conſtat opus eſſe vehemẽter probatum æque ſummis, atque infimis. Diem, qui diuo Thomæ Cãtuarienſi feſtus ducitur, celebrarunt magno concurſu, noua pompa, ſumma plauſu omnium: aderat Cardinalis aſsiſtens, vterque Senatus, ſelectisſimi quique ciues. pendebant ornamẽta literarum; græca, latina poemata: inter ſacra ſolemnia ex alumnis vnus orationem elegantem, atque factam ad pietatem excitandã, ita accomodatè pronunciauit; vt lacrymas etiam ijs extorſerit, qui latine non intelligerent. tum prodiere alij duo, qui publicè nuncuparunt iuramentum illud, quo poſt ſemeſtre ſpatium ſe Eccleſiæ, atque patriæ deuouent: id quoque de ſuperiore loco explicatum ſermone hiſpanico cæpit animos omniũ. quatuor poſt confecta ſtudiorum curricula remiſſi in Angliam. ex his duo theſes alteras Cardinali alteras Hiſpalenſi ſenatui dedicatas ipſis præſentibus ita defenderunt, vt non minus omnes in ijs admirati anglicanum ingenium, quam in pietate eſſent admirati voluntatem.

PRO-

# PROVINCIA LVSITANIA.

## Noſtrorum numerus, obitus, Ingreſſus.

LVſitanum Societatis agrum hoc anno coluerunt ſocij quingenti, & ſexaginta. Oliſipo in profeſſorum domo quinque, & ſexaginta, in Collegio vero decem minus habuit. Conimbrica in Collegio duos ſupra ducentos. Ebora centum, & quadraginta. Bracara quinque, & triginta. Vnum & viginti Bragantia. Portus quatuordecim. Ad Inſulas hi fuere. In Collegio Angrenſi quindecim, in Funtalenſi tredecim, octo in Angolanam Coloniam tranſmiſerunt. tredecim in Indiam, præclara omnes indole, & ad ſalutem eius generis procurandam, & ſuo, & communi ſtudio Societatis vehementer incenſi.

Septem obiere virtute diuites, vt conijcere licet è ſtipendijs per multos annos emeritis. Oliſipone P. Ioannes Frerius. Conimbricæ P. Antonius Gonſaluus. Eboræ P. Simon Martinus, ille annos duos de quadraginta, hi ſinguli duo de triginta in Societate vixerant. qui-

bus

*bus neque virtute, neque annis inferior, coadiutor vnus qui in Funealenſi Collegio poſt annos duos, & triginta in inuãda Societate peractos ad cæleſte ſtipendium, vt ſperamus, emigrauit. Cooptati in horum locum quatuor, & triginta; Septẽ Bracara, viginti quatuor dedit Conimbrica, quæ alios præterea centum in diuinum famulatum variorum ordinum familijs adiunxit; vt de eo inſigni Collegio nihil non præclariſſimum exiſtimare debeamus, ſi ex hoc fiat coniectura de cęteris.*

## Auxilia proximorum.

V*Ideo me ſi aſtringere ſingula velim, quæ Luſitana Prouincia domi, foriſque pro noſtra vitæ ratione cum laude geſſit, longiorẽ fortaſſe futurum, quam in alterius Prouinciæ rebus enarrandis; & ſimul neſcio qua ratione liberiore animo inſtitutũ in ea proſequor explicandi res tantum quæ genere, aut nouitate ſint illuſtres: eam fortaſſis ob cauſam, quod quemadmodum familiæ, quo ſunt de nobilitatis antiquitate certiores, eo minus teſtimonijs, aut præconijs gaudent; ita eos mihi perſuadeo minus de rerum vulgarium commemoratione laboraturos, qui magis abundant earum varietate, atque cõpia; hic enim Dei beneficio viget in primis ſtudium perfectionis, & ſpi-*

& ſpiritus noſtri B.P. Ignatij, cuius memoria in benedictione eſt, vtque is augeatur, & excolatur vehementius, nunc etiam magis ſolito vſurpantur eiuſdem Patris meditationes à noſtris, vt tãtiſper vitatis aliorum colloquijs, congreſſu, conſpectu, huius cęli luce liberius à Deo ad magnitudinem animi, ad humanarum rerum deſpicientiam, cognitionem cæleſtium erudiantur, & ab ijs in officina domeſtica melius ex cultis ad omne genus hominum vberiora, perfectioraque ſtudia, atque officia ſalutis emanent. ex his nonnulla perſtringam.

In Portu ereptus à morte innocens, cui tormentorum dolor dum falſam cõfeſſionem exprimebat, infamiam afferebat, & ſuſpendium Epiſcopus vir illuſtris, ſanctitate morum, doctrina, & hiſtoria quam de ſua familia Franciſcana perſcripſit, decumbebat in lecto morti proximus, & ab ea ſe longiſſime abeſſe exiſtimabat, cum natura quo magis erat vi morbi proſtrata, eo imbecilliorem haberet ſenſum doloris, minuſque periculum agnoſceret, agnoſcebant certe præter medicos domeſtici omnes, è quibus tamen propter mærorem, aut timiditatem, aut reuerentiam illi ſignificare nullus audebat. Fecit diuina prouidentia, vt ſalutãdi gratia Rector noſter interueniret. re cognita, & incuſata familia, Epiſcopum adit, atq; fideliter de morte iam iam imminente, edocet. ille quamuis ſubita re nihil perterritus Deo,

atque

atque Rectori gratias agit, tẽporis anguſtias ingenio, atque diligentia vincit, munit imprimis animam, ad alia plurima, quæ expedienda erant, domeſticis vtitur. grauiſſima quæque Rectori imponit. neque enim aliter tranſigi poterant, ac tum denique vita decedit, in quo fuit operæ pretium, tum vt ille dignam mortem obiret, tum, vt euitaretur offenſio longe maior, ſi rebus ſuis incompoſitis, nullis munitus ſacramentis propè ſubito obijſſet Epiſcopus tanti nominis, à cuius eximia virtute, atque ſcientia in eo negocio eximia quædam, atque illuſtria expectari poterant. Multi capitali odio diſſidentes ad cõcordiam reuocati. In his Eboræ duo perilluſtres, qui alioqui deſcenſuri erant ad ſingularem dimicationem, atque vt licet conijcere, ſanguine alterius non extincta diſſenſio, ſed accenſa vehementius eſſet: iam enim vtriuſq; familiæ nobilitas, propinquitates, affinitates, potentia è regno ferè toto non minimam nobilium manum acciuerat, atque rempublicam in duas partes diuiſerat: vt inſanabilius malum eſſet, quod pertineret ad plurimos. Sed ope diuina præter omnium ſpem repente conciliatis duobus principibus, & publicè in templo noſtro reuocatis ad gratiam, magna vniuerſæ Ciuitatis probatione, atque admiratione ardor cæterorum omnium omnino reſedit. Curatum, vt ſponſalia diſſoluerentur irrita contra morem, atque legem:

gem: iisque diſſoluendis, vt pro lucro animorũ iactura aureorum ſex millium negligeretur. Factum, vt Bragantiæ mille aurei alieni redderentur. Oliſipone maritus cum vxore ſtudio pietatis ad ſacram ædem ſitam in ripa Tagi vehebatur in cymba. quidam eodem fluuio nauigantes non tam vectoribus, quam Deo immortali hoſtes, eos primum contumeliis, & verbis obſcenis excipiunt, tum ſine vlla cauſa per barbaram quandam laſciuiam ſuo nauigio quam maximo remorum impetu concitato in ſcapham incurrunt, & in alterum latus inuertũt. mulier ſummerſa fluuio eſt, vir enatando in proximam ripam, ab aquis vitã eripuit, & odium eduxit eo implacabilius, quo periculum præſentius, contumelia grauior, & minus debita fuerat: inexorabilis animo obfirmato in vindictam, vel ipſum veniæ nomen execrabatur: eoque magis obduruerat, quo ſpes erat cupiditatis explendæ vicinior: nam re, vt par erat delata in iudicium proprius nihil erat, quam vt homicidæ penderẽt è laqueo. eo fuit illuſtrior diuina benignitas, quæ noſtrorum opera ita hominem flexit, atque emolliuit ad amorem, vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.

Prouiſum ſaluti perditi cuiuſdam aleatoris, cuius caſum libet hic ad aliorum documentum exponere. Inter ludendum perdite dolore pecuniæ ſe diris ille deuouerat. Furens domum

è ludo

è ludo redibat. occurrunt formam hominum indutæ laruæ, quos nummos amiſerat, reſtituunt, benigniſſimeque ſibi deuinciunt, conantur auocare in vallem quandam multis cædibus, & latrocinijs infamem. Sed non perſuadent. domum deducunt, & gurguſtiolum ingreſſo oſtendunt repente aulam auguſtiſſimam circumquaque fulgentem aureis laquearibus, ſericis auleis, precioſa ſuperlectili, qualis à poeticis auctoribus fingi ſolet. illarum ſe diuitiarum profitentur auctores, affirmant, ſi illis perpetuo beatus perfrui velit, vnam eſſe viam laqueum, eo animam eripiat ex vitæ mortalis ærumnis, homo præſenti ſpectaculo, argumentorum vi atque copia, penè extra ſe poſitus, arripit lineum funiculum; quem commodiſſimè aptatum porrigebant, ceruicis præligat, reductoque à terra corpore obruiſſet omnino ſpiritum, ni ſtrepitu excitata vicinia irrupiſſet in domunculam, & fracto laqueo vinculis mortis miſerum diſſoluiſſet; non tamen à conſilio diſcedit: & quoniam per ſummã domeſticorum vigilantiam alia non patet via; dum decumbit, iiſdem vſus auctoribus collum irretit longæ reſti, funiculi extrema ad imos pedes alligat, atque ita ad pedum porrectionẽ labili nodo ſe cõtrahente anima intercluſiſſet, ni ſi re cognita familiares diſturbaſſent inceptum, ſuæque diffiſi diligentiæ diuinos accerſiuiſſent Societatis medicos, qui ſacris medica-

dicamẽtis depulerunt Dæmonem, & miſerum corporis, animique ſaluti reſtituerunt.

# Scholæ datæ, atque acceptę eleemoſynæ.

Nauata opera ingenijs adoleſcentium: Eboræ mille ſexcentis. Conimbricę bis mille. nauata corporibus egenorum. Funcali noſtris fortunis compreſſa fames pauperum. in Portu inopia ſubleuata virginum religioſarum, atque nobilium, ad quas fames extrema de cænobio relinquendo retulerat. Abbatiſſa perditum prope Monaſterij ſtatum ad noſtrum Rectorem eius freta caritate perſcribit. ille in ſubita neceſſitate victum vniuerſis è Collegio noſtro ſuppeditat, agitq; interea cum principibus Ciuitatis ita pie, atque prudenter; vt negocium illi enixè ſuſceperint, eleemoſinam ipſi erogarint; à Senatu, Epiſcopo, nobilibus abunde collegerint tam cupidis vniuerſis, vt duce noſtro concionatore ſtipem per totam Vrbem hoſtiatim emendicarint, atque trecentos aureos collegerint, quibus recreata Monaſterij egeſtas, donec primates, & Rex ipſe Philippus ijs præſidio firmiore conſuluit, tanta omnium probatione, vt religioſi eius ordinis, qui huic monaſterio præerant nobis venerint magna cum animi lætitia gratulatum.

M Hinc

*Hinc vt pergamus de aliorum cōmodis cogitare magis, quàm de noſtris; Maria Alarcania fœmina in primis nobilis, & pia, poſt multos annos in templo noſtro diuino cultui datos, migrauit ad ſuperos. facta poteſtate per P. Generalem corpus templo, tria millia aureorum pro Eccleſia Collegio Eborenſi reliquit. Vbique multa ad ſacram ſupellectilem acceſſerunt. In Collegio Bragantino crux argentea magni ponderis, atq; operis. In Bracarenſi theca ex argento ſanctis Vrſulæ, & ſociarum oſſibus tegendis: ferculum aſſeruando Chriſti corpori, candelabra quatuor omnia auro tecta. In domo Oliſiponenſi ſimulacra tria ex argento à capite ad cingulum, quorū vno caput Beatiſſimi Gregorij Taumaturgi; alijs bina epiſcoporum capita religioſius aſſeruantur. Ad harum reliquiarum numerum è noſtris quidam appoſuit communi pietate colendum Sancti Baſilij Magni digitum, quem Roma ad priuatam religionem ſecum deportauerat. Ioannes verò Borgia, qui domum hanc, atque adeo Vrbem diuinam huiuſmodi theſauris reddiderat, quaſi vt coronidem poneret, ſuis ergà nos beneficijs immortalibus ad eaſdem reliquias adiunxit, bonam eius coronæ partem, quæ ſanctiſſimum Chriſti ſeruatoris caput circumcinxit, & pupugit.*

Miſ-

## Miſsiones.

Porrò noſtrorum ardor neque parietibus domeſticis, neque ambitu propriarum Vrbium contentus in remotiores partes erupit a Collegio Bracarenſi in proximos pagos. Ab Augrenſi in vicinas Inſulas. Ab Oliſiponēſibus profeſsis in quadraginta ſuburbia. A ſcholaſticis in vicina oppida. Ab Eborenſibus in circumfuſos agros, vicos, oppida. omnes toto animo incubuere in ſalutem proximorū, vt delerent vitioſas conſuetudines, bonas inducerent; vbique ſanata vulnera, quæ erant animis multorum impoſita, abdicata periuria, laſciuæ cantiones, aut ſublatæ, aut mutatæ melioribus, ſeiunctæ à maribus feminæ luxuriæ participes, teſtamentorum violatores ad ſaniora conſilia reuocati, reciſæ plurimæ lites, occurſum conſilijs occidendæ vxoris, & infamiæ ferro vindicandæ. Conciliati filij parentibus, oppidani Curionibus, Sacerdotes ſacerdotibus, euulſa odia inueterata, multæ factæ reſtitutiones æris alieni, famæ; liberati innoxij è cuſtodijs, multi denique per ſummā Dei clementiam à flagitioſa vita, atque à vitijs abducti, habendis concionibus, explicando catechiſmo, monendo, hortādo, verbis, ac præcipue exemplo.

Non parum profuere pia munuſcula, quæ

*noſtri peregrinantes fidelibus elargiri ſolent. Exornauit illa Deus ſuæ potentiæ ſignis, quo gratiora eſſent accipientibus. In Eborēſi agro nobilis quidam Senator diu vi morbi delirauerat: cùm ſanus eſſe crederetur à ſuis in cubiculo ſolus ad breue tempus relinquitur. ſtatim ille thoracem induit, in quo duo ex albo plumbo Beatæ Virginis Matris ſacra numiſmata dudum incluſerat, maius aliud collo, vt ſolitus erat, appendit, & inſtigante Diabolo, qui occaſione adhuc imbecillæ mentis vtebatur, ſe præcipitem è feneſtra verſo deorſum capite in viam durisſimo lapide conſtratā deijcit. ſed perinde atque decidiſſet in plumam, incommodi nihil accipit. Miratus ipſe Dæmō ſe vinci, & occaſionem eripi è manibus erubeſcit. oſtendit ſe palam humana ſpecie, hominem ſuę mentis impotentem, qua hortando, qua trahēdo, longa, atque difficillima via ad puteū perducit in multam altitudinem excauatum. hic ignarus, volente Deo, eorum, quę geſtabat in pectore, ſuadet primum, vt ſacrum emblema, quod pendebat è collo, & cui incolumitatem ex primo caſu referebat acceptam, ad os puteī deponat, tum ſe in illud præceps immittat, paret infelix, ad imum deprimitur, nec ſanè humilis erat aqua, ſtatim emergit, ad voces quas B. Virginis opem implorans profundebat extremas, à vicinis occurritur, præſto fuit in primis ipſa mater miſericordię. ſuo eum*

con-

conſpectu recreauit, effecitque, vt quaſi icunculæ pro cucurbitis eſſent, earum tenus extaret ab aquis, & humor in molliſsimam ſellã illi cogeretur horas duas. poſt quas prædicãs Deiparæ benignitatem, & vim ſacrarum imaginum, extractus eſt incolumis, cupidiſsimus placendi Deo, liber ab inſania, à priſtina ægritudine, à præſenti periculo, quod fuit ita multiplex, vt qui in fundum ad eum eripiendum deſcenderat, e frigore morbum plurimorum dierum contraxerit.

Omnium in Chriſto ſeruus

Io. Franciſcus Carettonius.

Errata

140101 2
Digitized by Google

# Errata ſic corrige.

**Primus numerus indicat paginam, ſecundus lineam.**

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1 | 18 | Tybertinum | Tyburtinum |
| 4 | 6 | Inſtructis | Inſtructus |
| 7 | 2 | Culonem | Culmen |
| 7 | 6 | Collegiis | Collegij |
| 7 | 24 | Congregationis | Congregationes |
| 7 | 26 | Quæ | Quam |
| 8 | 16 | Eadem | Eodem |
| 10 | 3 | Anglia | Angliam |
| 12 | 3 | Ponti | ponte |
| 14 | 28 | Rate | Reate |
| 21 | 13 | Paxeatur | pareatur |
| 24 | 26 | Alefij | Aletij |
| 24 | 17 | Humero | Humeros |
| 25 | 30 | Occumbuerunt | Occubuerunt |
| 26 | 25 | Sapro | Sacro |
| 29 | 17 | Vnum | Vnus |
| 30 | 3 | Quiquam | Quiſquam |
| 32 | 20 | Eſcſe | Eſſe |
| 38 | 20 | Deductorem | Seductorem |
| 41 | 7 | Perlegeret | perlegerit |
| 44 | 14 | Deuouent | Deuoueant |
| 45 | 11 | Commemorentur | Commemoretur |
| 47 | 15 | Prouinciæ | prouincia |
| 48 | 7 | Mutilem | Mutilum |
| 48 | 11 | Hinc | Hic |
| 49 | 10 | perocorienſi | petrocorienſi |
| 52 | 23 | Campatiræ | Campanæ |
| 55 | 3 | Condonit | Condonat |
| 57 | 12 | Diuerſorum | Diuerſarum |
| 61 | 10 | Veſtilum | Veſtium |

Hor-

Digitized by Google

| | | | |
|---|---|---|---|
| 81 | 29 | Horredum | Horrendum |
| 91 | 2 | Noſtris | Noſtri |
| 128 | 10 | Completi | Complecti |
| 144 | 19 | Illo | Illa |
| 144 | 23 | Anteſignans | Anteſignanus |
| 146 | 14 | Ideo | Id |
| 149 | 8 | Quemquam | Quemque |
| 150 | 21 | aeedem | Aedem |
| 162 | 4 | profeſſus | profeſsis |
| 176 | 9 | Superlectili | Supellectili |

Digitized by Google

Ego Virgilius Ceparius Rector Collegij Florentini Societatis Ieſu legi has literas annuas eiuſdem Societatis & nihil continent contra fidem aut bonos mores.

Virgilius Ceparius.

Attenta ſuperiori approbatione licentiam imprimendi concedimus Florentiæ accedente conſenſu R. P. Inquiſitoris. die 4. Februarij. 1600.

Alexander Caccia Vicarius Flor.

Frater Dioniſius Conſtacciarius Hæreticæ Prauitatis Inquiſitor generalis Florentiæ & Florentini Dominij facultatem imprimendi concedit 4. Februarij. 1600.

# REGISTRVM.

* A B C D E F G H I K L M.

Omnes ſunt duerniones, præter * M, quæ ſunt ſimplex.

FLORENTIAE.

APVD PHILIPPVM IVNCTAM.

M D C.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B

Digitized by Google